Friedrichs-Gymnasium.

Jahresbericht

über

das Schuljahr von Ostern 1875—76

vom


Director

Professor Dr. Kempf.

Beigegeben wird demselben eine Abhandlung: de Ciceronis Verrinarum codicibus, Pars I.
vom Oberlehrer Dr. Meusel.

BERLIN.
Buchdruckerei von Gustav Lange (Paul Lange).
1876.

1876. Progr. No. 44.



De Ciceronis Verrinarum codicibus.

Pars I.

Utri maior fides habenda sit, palimpsesto Vaticano an codici Regio Parisiensi 7774 A.

Orationes illae, quas in C. Verrem conscripsit Cicero, et melioribus et deterioribus libris manu scriptis compluribus ad nos pervenerunt. Ex meliorum numero ceteris praestare tres codices nemo eorum, qui paulo diligentius his orationibus operam dederunt, ignorat. Sunt autem tres illi codices hi: unus liber ille rescriptus, quem in bibliotheca Vaticana invenit Angelus Maius, alter codex ille, quem Lagomarsinius numero 42 notavit, tertius codex Regius Parisiensis no. 7774 A. Palimpsesto illo, qui dicitur Vaticanus, fragmenta tantum continentur, sed fragmenta satis ampla quinque alterius actionis librorum; codex Lagomarsinianus 42, quamquam omnes eas habet orationes, quas communi Verrinarum nomine solemus complecti, tamen in duobus tantum libris, secundo et tertio, in bonis (vel potius praestantissimis) numerandus est, in reliquis Verrinarum partibus cum deterioribus plerumque facit. Regius denique Parisiensis praeter Ciceronis de inventione libros et fragmentum de rhetorica (cf. Halm, zur Handschriftenkunde der Ciceronischen Schriften pag. 13) accusationis in Verr. libr. IV. et V. continet. Ex eodem fonte, unde hic liber manu scriptus, fluxerunt quinque alii, duo codices Wolffenbuttelani, unus Leidensis, unus Lambini, denique codex olim Erfurtensis, nunc Berolinensis, qui Verrinarum exigua habet fragmenta. Ex horum librorum discrepantia multae inter homines doctos ortae sunt controversiae. Dubitant enim maxime, utrum palimpsestus Vaticanus Lagomarsiniano 42 et Regio Par., an hi Vaticano praeferendi sint, utrum codices Wolffenbuttelani (qui Guelferbytani vulgo appellantur) et Leidensis ex eodem exemplo, ex quo Regius Par., an ex ipso hoc Regio descripti sint, haesitant, quid tribuendum sit codici Lagom. 29 et Parisinis quibusdam, in primis no. 4588 A. et no. 7776. Quid? quod nuper vir ceteroqui de Ciceronis libris emendandis bene meritus deterioribus idem fere quod iis, quos omnes reliqui multo meliores et longe praeferendos iudicant, tribuendum esse censuit? Omnes hae quaestiones nisi accurata codicum comparatione instituta non possunt solvi. Mihi nunc propositum est unum illud, quod maxime pertinet ad eos libros, qui in scholis solent legi, perquirere, utri plus auctoritatis tribuendum sit, codici Regio Parisino an palimpsesto Vaticano; de reliquis, si fieri poterit, alio loco disputabo.

Plerique editores Vaticanum palimpsestum longe ceteris anteponendum statuunt, neque tamen iis locis, quibus discrepant inter se libri mscr., certis firmisque in Verri-

Zum Programm des Friedrichs-Gymnasiums zu Berlin. 1876. Progr. No. 44.

narum textu constituendo utuntur argumentis. Ut paucis utar exemplis, ex tredecim illis locis, quibus Vaticanus aliam habet verborum collocationem atque reliqui omnes, Halmius, qui unus omnium editorum maxime sibi constat, uno loco excepto semper retinuit eum verborum ordinem, qui est in Vaticano codice; Klotzius, quo nemo saepius mutavit sententiam, quinquies in omnibus, quas curavit, editionibus Vaticani servavit ordinem, bis reliquorum, reliquis locis adeo fuit inconstans, ut non semel eam, quam anno 1837 probaverat sententiam, a. 1852 reiceret, iterum probaret a. 1863. Cf. libr. V § 84 vers. 24 (editionis Or.-Bait.-Halm.) *ego haec* (a. 1837), *haec ego* (1852), *ego haec* (1863); item § 109,27 *indicta causa*; 121,13 *neque illis neque tibi*; aliis locis ut § 72,16 *capti erant*; 118,6 *mortem filio tuo adferam*; 126,9 *velit fieri* anno 1837 secutus est Vaticanum, in duabus illis, quas postea confecit, editionibus reliquos; uno loco, 82,23, *vir Cleomenes* in prioribus editionibus eam habet verborum collocationem, quae in codice Regio Par. reliquisque est, in tertia Vaticani secutus est auctoritatem. Magis miror Kayserum aeque esse inconstantem. Quater enim Vaticano paret, septies reliquis, bis verbum eiciendum esse statuit. Eberhardus uno loco excepto semper in Vaticano recte collocata esse verba iudicavit. Richter quater Vaticanum, reliquis locis ceteros sequitur, Zumptius semel Vaticanum, reliquis locis reliquos.

Similiter iis locis, quibus Vaticanus aut omittit verbum, quod habent reliqui codices, aut addit, quod omittunt reliqui, editores vacillant titubantque. Maior etiam, si potest fieri, virorum doctorum est inconstantia, cum Vaticanus consentit cum deterioribus, recedit a melioribus. Aut nullis aut levibus inanibusque ducti rationibus plurimi editores modo hanc modo illam recipiunt scripturam. Soli Halmius et Jordanus ea, qua par est, utuntur constantia et vere criticorum nomine dignos se praestant. Maxime tamen inter se dissentiunt et omnibus fere locis dubiis diversas habent lectiones, quae quidem dissensio inde orta est, quod Jordanus codicem Regium (praesertim cum Wolffenbuttelanis et Leidensi consentientem) reliquis anteferendum censet, Halmius Vaticanum longe ceteris praestare sibi persuasit, Wolffenbuttelanorum et Leidensis cum Regio consensum, cum tres illi codices ex ipso Regio transcripti sint, pro nihilo ducendum arbitratur. Sed in hac quidem re fallitur vir doctissimus: certissimis argumentis potest demonstrari, tres illos, quos saepius nominavi, codices, ut sunt ex eodem fonte profecti, ex quo Regius, ita non ex hoc ipso Regio esse descriptos. Sed hoc alio loco probabo. Nunc quaerendum est, utrius sententia vera sit, Halmii, qui Vaticano, an Jordani, qui Regio plurimum tribuit. Quod ut via atque ratione faciamus, primum adferendi sunt ii loci, quibus falsam esse aut Vaticani aut Regii scripturam nemini potest esse dubium.

Quattuor autem distinguenda sunt mendorum genera. Aut enim singulae vel litterae vel syllabae vel voces inter se mutatae sunt, aut omissa sunt, quae non debent omitti, aut falso addita sunt verba litteraeve, aut verborum ordo pravus est. Haec errorum genera singula deinceps persequemur.

Atque primum quidem **mutatae sunt** *litterae in codice Vaticano hae*:

a pro litt. **e**: ven**i**ant V § 126 vers. 29 ed. Bait.-Halm.-Jord.

ae pro **e**: grauissum**ae** IV 19, v. 1.

ae pro **oe**: pr**ae**liis V 132,7.

b pro **v**: **uiborum** V 120,2.
c pro **ch**: **Thimarcides** (pro Timarchides) V 81,18; **navarcorum** V 121,14 *et saepius.*
e pro **a**: **repiebantur** V 72,19; **perfugient** V 126,4.
e pro **ae**: **Alesina** (pr. Halaesina) IV 17,1; **meror** (correct. ex memor) V 130,2.
e pro **i**: **dare** V 83,12; **ciues** V 83,17; **cupiditate** V 127,21; **calamitates** V 132,6.
f pro **ph**: **Falacrum** V 105,14; 116,9; 122,20.
i pro **o**: **populique** V 83,16; **qui** V 107,4; hic 128,14; **aliqui** (sic!) 118,7. (o superscr.)
i pro **u**: **Alintinus** (pro Haluntinus) V 122,16; **oppressis** 122,17; **ornati** 127,4; **sint** 135,16.
i pro **y**: **Pachino** V 133,23; 135,13.
l pro **i**: **relectus** V 114,28; **exangula** 130,2.
[**m** pro **d**: **quemammodum** V 99,10; 123,23.]
m pro **n**: **volumtate** V 72,17.
m pro **o**: **perpetum** V 131,16.
(**m** pro **r**: **memor**, (corr. in meror) V 130,2.)
m pro **t**: **praetermittam** V 131,9.
o pro **a**: **toto** V 128,7.
o pro **u**: **Eubolida** V 128,14.
q pro **c**: **qui** V 107,4.
s pro **c**: **quisquam** IV 16,23 (sed littera s expuncta).
s pro **q**: **suo** V 98,8.
s pro **t**: **opstitisset** V 82,8 (pro opstitit set).
s pro **x**: **ars** V 126,4.
t pro **c**: **et qui** IV 18,14 (bis; idem mendum extat in Lagomarsinianis deterioribus); **et quae** IV 18,14; **et quis** V 121,5 (pro ecqui, ecquae, ecquis).
t pro **m**: **sicut** V 115,6 (legend. sicum).
u pro **i**: **fuerunt** V 134,5.

His adiungimus haec:
u pro **mi**: **ussione** V 122,19.
am pro **e**: **quisquam** V 136,18 (idem habet Lag. 29).
os pro **a**: **inactos** V 82,2 (pro in acta).
ri pro **n**: **viderit** V 107,8.
us pro **i**: **versatus** V 132,6.
is pro **ibus**: **laboris** V 123,3.

Permutatae sunt inter se complures litterae his locis: V 72,20 ameonis pro Romanis; V 94,25 flatigabatur pro flagitabatur; 122,20 Falarcus pro Phalacrus; 127,16 refertquae pro refertaeq. i. e. refertaeque; 127,20 solici pro socii.

Vocabula confusa sunt a librario haec:
alios quam V 72,17 (legendum est: aut aliquam).
alteros V 72,14 (legend. alios).
commemorata V 125,21 (leg. comprobata).
defendere V 131,11 (pro offendere).
eam V 116,11 (pro eandem).
esse V 133,22 (pro sese).
impublico V 94,25 (leg. imperator).
in V 84,21 (leg. si).
miramur V 124,11 (leg. numeramur).
nobilissimorum V 81,19 pr. m. (pro nobiles).
praedices V 133,11 (pro praecidas).
praetore V 127,20 (leg. populo Romano).
sociumque V 131,16 (leg. sociis atque).
suisimilitudo V 94,21 (leg. simili multitudo).
ut V 80,2 (pro que).

Jam videamus, quae eiusdem generis

menda sint in codice *Regio* Parisiensi no. 7774 A.

Scriptum est:

ae pro **e**: araetusae (pro Arethusae) V 80,13; publicae V 128,10; arcae IV 17,11; haecquis V 121,5 (pro ecquis).

a pro **o**: suarum V115,3; desipia (vel desipiā) V 123,23; eadem menda sunt in duobus Wolffenbutt. et Leidensi, quos brevitatis causa, ut factum est a Jordano in edit. Turic., comprehendam nota G3. (Omnino iisdem utar compendiis, quae sunt in ed. Bait.-Halm.-Jord.) Quae codici Regio cum his tribus communia sunt, ea iam in eo libro, ex quo et Regius et G3 ducti sunt, fuerunt.

a pro **u**: innocentiam V121,15 (idem habet Lag. 29).

b pro **d**: abluantur V96,15.

c pro **qu**: cuiuscemodi IV7,22 (fuit in exemplo proposito, cum G2 et Ld. similiter errent).

c pr. **t**: nuncio V108,17.

ch pr. **f**: chorum V106,21.

ch pr. **h**: archodio V 81,20 (pro a Rhodio).

[**d** pr. **t**: quodannis V123,3.]

e pr. **ae**: quetui V 130,3 (pro quaestui); emulus V133,22 (corr. man. 2.); q̄., i. e. que (correct. in quae) V 127,17.

e pr. **i**: ipse V80,8; laudes V125,17; que V104,4 et V98,9 (Reg. quodq., Leid. quodque); se IV16,28 (hoc quoque loco, ut V98,9, Reg. consentit cum Ld.); vertetur V 133,13 (idem fuit in communi illo fonte).

e pr. **m**: fortunae V131,9 (idem vitium habent omnes libri manu scripti uno Vatic. excepto).

e pr. **oe**: preliis V 132,7.

f pr. **e**: forum V 72,12 et V 98,9 (priore loco R. consentit cum G3, altero cum uno G2).

f pr. **p**: conflexus V104,6.

i pr. **e**: possit V 80,6; indigni V 115,1. victus V116,10 (his tribus locis G3 congruunt cum R., sequenti unus G1:) ferri V 105,10.

i pr. **l**: eiectos V107,10.

i pr. **u**: configit IV17,10.

l pr. **i**: helo IV7,16.

m pr. **d**: illum V107,5.

m pr. **e**: culpam V131,9 (G3 et deteriores idem habent).

m pr. **s**: palacrum V 122,20 (leg. Phalacrus).

n pr. **s**: concenserunt V125,24.

o pr. **a**: mortem V132,8.

o pr. **ae**: propositus V94,25; proposuisse V126,3 (idem habent G3).

o pr. **i**: quod IV6,9 (item Lagg., praet. Lg. 42).

o pr. **u**: incolomes V 105,12.

qu pr. **c**: huiusque V125,21.

r pr. **s**: ipro V121,14.

s pr. **e**: fortunas V132,5.

t pr. **e**: utrumtamen V82,24.

t pr. **i**: utrum V 81,17; et V 94,20; 105,9; uttam V119,9 (fuit in libro proposito).

u pr. **i**: ducunt V133,19; decusis V 120,2 (mutatum m. 2. in decussis pr. decisis).

u pr. **o**: furturum V115,3; nulle V132,5.

ɔ pr. **o**: c̄ōmuni leg. (communi) IV 17,11.

Addenda sunt haec:

a pr. **ei**: V116,13 (G3 habent at).

i pr. **ere**: animadverti V105, 9 (R3).

m pr. **in**: tum V136,21 (leg. tu in).

mp pr. **n**: contemptus V80,10.

nc pr. **m**: nu**nc** (pr. manu) V132,2.

Singulae *voces inter se permutatae* sunt his locis:

abalienato pro ablegato V82,7.

da pro dico V133,15.

esset pro est: V94,30. (His tribus locis cum congruat R. cum G3, mendum fuit in illo libro, qui parens est meliorum).

hii pro te: V133,11 (G3 hiis).

lacrumarum pr. lacrumaret V 121,5.

P.R. pr. per V129,17.

praetoribus pr. praedonibus V 72,16.

sit pr. est V127,2.

triphu pr. triumphas V121,8 (G3 triumphum).

ut pr. ne V117,16.

videatur pr. videatis V127,19 (corr. m. 2).

Venio nunc ad alterum vitiorum genus, quod pertinet ad **additamenta**. Additae autem sunt aut singulae pluresve litterae, aut singulae voces.

Singulae litterae additae sunt in *Vaticano* hae:

a: **a**ut V98,8.

c: perdi**c**tos V134,2.

d: quo**d** V98,5; **d**e (ut videtur) 133,23.

e: audi**e**tis V123,23 (non satis certum est, utrum in codice sit audietis an audiẹtis); **e**istorum V126,12.

h: T**h**imarcides (pr. Timarchides) V 81,18.

m: homine**m** V 106,26; conspectu**m** V118,24; illa**m** V132,8.

n: lauda**n**t IV 17,6; **n**umquam V 108,20; videre**n**t V128,17.

o: quo**i**n V84,24.

s: alii**s** V72,18; domo**s** V80,9; spe**s** V123,4; e**s**tiam V134,6.

t: acce**s**sit V130,27; consti**t**uit V134,8.

Plures additae sunt litterae hae:

io: dissimulat**io** V126,12.

KP V 126,11 (significat, ni fallor, caput).

me: volumtate**me** V72,17(pr. voluntate).

mo: **mo**ratio V94,29.

sse: po**sse**tuit V107,6 (punctis notatum in ipso codice).

um: lacrumar**um**et V121,5.

us: cui**us** V107,4.

Integra verba addita sunt his locis:

IV 17,31: Agyrensi; V121,15: amicum; V84,30: ante; V72,14: ceruos (A. Maius coniecit legendum esse certos pro ceruos); V 72,18: cum (sunt qui censeant pro verbis cum aliis, quae sunt in Vaticano, legendum esse tum alii); IV18,18: ẹṭ (sed punctis notatum); V127,2: hi; V94,31: in (sed expunctum, ut Maio visum est); V 120,3 in (hoc loco Brunnio visum est punctatum); V130,6: satis; V 94,36: se; V 135,11: subito. (119,9 ubi m. 2. superscriptum.)

In *codice Regio Par. haec inveniuntur additamenta:*

d: a**d** V116,9 (sed **d** punctatum); se**d** V116,7 (hoc loco in exemplo illo, ex quo originem ducunt R. et G3, aut littera **d** falso erat addita, aut se omissum, ut aut legendum sit: secum aut sed secum).

e: vol**e**t V117,17 (fuit in libro proposito).

h: **h**ecquod V84,23; **h**aecquis V 121,5 (pro ecquis); **h**ostium V118,24 et V80,13 (posteriore loco idem habet Lg. 29); P**h**achyno V133,23; 135,13.

i: idem IV 19,5; carnificis exitio V 125,23 (unus Vaticanus hoc loco videtur habere veram lectionem: carnifici Sextio;

meliores quidem omnes et Lagomarsiniani pariterque Oxon. ψ habent: carnificis exitio); facite (pro: fac te) IV19,26 (congruit R. cum Ld.).

m: gemitum V121,8 (erat mendum in communi meliorum fonte).

n: requirebant V129,25 (faciunt cum R. non solum G3, sed etiam Lagomarsiniani omnes).

s: obsolestis V117,18; Verres (pr. m.) V126,29; commisserunt V132,5.

t: defenderet (pr. m.) V84,30.

Duae litterae additae sunt his locis: sibi V129,17; **et** V 125,16; **in**commode V131,12; **ne** V116,9.

Sed non minus saepe quam additae sunt singulae vel plures litterae, **omittuntur** in his codicibus aut litterae aut integrae voces.

In *Vaticano omissae sunt litterae hae*:

a: V80,7 scriptum est ut pro aut; V 135,10 fuisse pro afuisse.

c: V126,4 hi pro hic.

d: V98,9 quo pro quod; V 126,11 scriptum est QVO^D^MAGIS pro quod (eo)magis.

e: V80,6 praeda pro praedae; V 96,9 os pro eos; (V 98,7 quaest pro quae est.)

h: IV17,1 Alesina pro Halaesina; V109,25 Stenium pro Sthenium; V 122,16 Alintinus pro Haluntinus.

i: IV 19,27 sin pro si in; IV 17,11 pecunis pro pecuniis; V 83,14 denaris pro denariis.

m: V94,23 nominati(m); V 121,6 calamitate(m) illa(m); V 133,23 terra(m).

n: V72,20 defendere(n)tur; 127,20 reli(n)cunt; 131,9 pertine(n)t.

o vel **u** excidisse videtur V 129,24: Q RVM.

p: V 94,20 Lam(p)saceni; 107,4. 126,1 su(p)plicio.

r: V 109,27 (r)eos.

s: V 105,19 optare cum **s** sup. lin. (pro obstare); 131,14 reliquo(s).

t: V 98,1 (t)recentis; 104,5 perea(t); 135,11 totam pro tot tam.

u: V 95,3 (u)nam; 126,8 met(u)unt.

y: V 133,21 Ag(y)rinenses.

Plures litteras omisit Vatic. scriba librarius his locis:

V 127,18: (AS)IĀ, ut videtur; 72,15: insimula(ba)t; 121,14: mi(hi); IV 17,31 Agyr(in)ensi; V 123,4 ae(qui)tatis.

Singula vocabula exciderunt haec:

Cupido IV 7,4; sed manu scholiastae superscriptum est Brunnio teste.

eo V 98,5; 126,11.

est V 99,11.

et V 107,8; 128,8.

exceptione V 81,17.

ipsi V 80,6.

is IV19,25.

nam V115,6.

non V 135,16.

quod V 84,31.

remum V 135,10.

se V 116,14.

totam V 135,12.

Bina vocabula desunt his duobus locis: V 83,14 legati ubi; 94,26 ut illud; quattuor fere versus editionis Baitero-Halmianae V 131,16—132,4: te illo tempore ipso superioribusque diebus omnibus in litore cum mulierculis perpotasse dico: harum rerum omnium auctores testesque produco. Num tibi insultare in

calamitate, num intercludere perfugia fortunae, num casus bellicos exprobrare aut obicere videor?

In *codice Regio* minor huius mendorum generis est numerus.

Litteras omisit librarius has:

ae: (ae)state V 80,6; (ae)mulum 82,9.

e: carbas(e)is V 80,11; (east pro ea est 82,26 pr. m.).

h: (H)eius IV 18,13; Araetusae pro Arethusae V 80,13; P(h)alacrum 122,20; Cart(h)aginem 125,15; (h)ac IV 8,13 (hoc loco littera **h** etiam in G2 deest).

i: beneficis V128,9 et is 135,14 pr. m. (pro beneficiis et iis); convivis (pro conviviis) 132,7; Sextus pro Sextius V 118,3 (habent idem G3).

m: metu(m) V 117,15.

p: op(p)ressus V 122,17.

s: quetui (pro quaestui) V 130,3; mi(s)sione 122,19.

u: tus (pr. m. pro tuus) V 108,21.

Plures litterae desunt in *cod. Reg.* his locis:

V 115,2 R3 habent humanitatemque pro inhumanitatemque; IV 18,16 R. solus: non vetur pro non movetur; V 115,3 condemna pro condemnari (R3); V 133,22 R habet pr. m: tuemulus pro tuus aemulus; V 107,4, quo loco in omnibus libris manu scriptis erratum est, R., qui proxime ad verum accedit, habet cuimodi pro cuicuimodi.

Singula verba desunt haec:

cum V 123,26 (R3).

ictu V 118,5 (deest in R. G2. Ld.).

in V 80,12 (R3).

te V 135,12 (R3).

Duo verba omissa sunt (in R3) V 133,20 hoc Hennenses, *plura verba* V 133,13.14, ubi R3 habent: non ego quemquam ex re militari pro: non ego securi nego quemquam feriri oportere; non ego metum ex re militari.

Reliquum est quartum errorum genus, quod pertinet ad verborum collocationem.

In *Vaticano* non recte esse collocata omnes editores consentiunt his locis: V 82,8 tamen; 115,7 que; 130,26 detuli(t); 132,6 quidem. Unus Klotzius 130,26 secutus erat Vaticanum a. 1837, postea tamen reliquos et codices et editores secutus est.

In *cod. Regio* uno loco aperte falsa est unius verbi (quoque) collocatio V 123,24; erratum hoc loco iam erat in eo exemplo, ex quo R. descriptus est.

Enumeratis et palimpsesti Vaticani et codicis Regii Parisiensis erroribus si rationem inimus, quot cuiusque generis menda et in Vaticano et in Regio sint, haec invenimus:

Litterae aut singulae aut plures inter se permutatae sunt in *Vatic.* amplius sexagies, in *Regio* sexagies; singula verba mutata sunt in *Vatic.* quindecies, in *Reg.* undecies. Additae sunt singulae litterae in *Vatic.* 20, plures litterae 7, integra verba decem tredecimve locis, in *Regio* singulae litterae septendecim duodevigintive locis, plures litterae duobus, integra verba (quorum utrumque ex duabus constat litteris) item duobus locis. Omissae sunt in *Vatic.* singulae litterae quater et tricies, plures quinquies, plenae voces undeviginti, complures versus (35 verba) semel, in *Regio* duodevicies singulae

litterae desunt, quinquies plures; verba desunt sex, paulo maior verborum numerus (7 verba) semel. Verborum denique ordo sine dubio turbatus est in *Vat.* quater, in *Regio* semel.

Ex his, quae adhuc exposuimus, non veri simile est maiorem fidem habendam esse Vaticano quam Regio.

Credat quispiam nunc me explicaturum esse, quibus causis tribuenda sint menda illa, quae et in Vaticano et in Regio insunt. Sed cum fieri possit, ut eiusdem mendi alii alia causa esse videatur, cum saepius liceat, oculorum vel memoriae errori aut neglegentiae tribuere, quae mihi manifesto mutandi vel potius corrigendi studio profecta esse videntur, hanc quidem quaestionem, ne opinione praeiudicata ductus iniquius iudicare videar de Vaticano, paululum differre liceat.

Videamus nunc, quid de iis locis iudicandum videatur, quibus Vaticanus a reliquis omnibus libris manu scriptis discedit ita ut ex singulorum locorum sententia diiudicari non queat, utra scriptura praeferenda sit. Quo autem in hac re utemur adiumento? quibus indiciis usi poterimus constituere, utrum Vaticano an Regio dubiis his locis plus tribuendum sit? Mea quidem sententia et deteriorum codicum habenda est ratio et perquirendum est, quod erroris genus Vaticani, quod Regii magis sit proprium et peculiare. Atque plurimis locis, quibus inter se consentiant deteriores et Regius, Wolffenbuttelani, Leidensis, Lambini codex (λ), veri similius esse contendo, praeferendam esse horum omnium scripturam Vaticano. Nam si duo testes fide digni inter se pugnant neque ex re ipsa iudex potest cognoscere, utri maior fides in dubia aliqua re sit habenda, aliorum testium, etiam si multo minor sit eorum fides, habenda erit ratio. Sed duae res cauto et prudenti iudici maxime erunt spectandae; nam et cavendum erit, ne credat iis, qui de industria fallere conentur, et quaerendum, ex quo auctore testes illi minus locupletes audierint quae dicant. Quod si cognitum erit, ex altero utro illorum fide dignorum testium deteriores accepisse quae tradant, prorsus neglegenda erunt eorum verba. Sed etiam si ostendi poterit, ad eundem auctorem referendum esse eorum testimonium, ad quem referendum est eius, quocum consentiunt, aut nulla aut admodum exigua eorum erit auctoritas. Atqui Verrinarum codices neque ex Regio Par. neque ex Regii meliorumque archetypo ductos esse constat, ac ne ex ipso quidem Vaticano eos esse profectos certis argumentis potest probari. Ducti igitur sunt aut ex eodem archetypo, ex quo Vaticanus ortus est, aut ex alio quodam fonte et a Regii et a Vaticani archetypo diverso. Utrum horum veri similius sit, alio loco docebo; hic nihil attinet quaerere, utrum statuendum videatur. Nam si ex alio fonte fluxerunt atque Regius et Vaticanus, aliquid certe fidei et ponderis, quantulacumque per se ipsa eorum est auctoritas, Regio et reliquis melioribus addunt. Sed etiam si ex eodem archetypo originem duxerunt atque Vaticanus, non neglegendum eorum est testimonium. De industria enim fallere et decipere numquam conati sunt deteriorum codicum librarii, sed aut oculorum memoriaeve errore inducti, aut, si quid in libro proposito falsum vel erat vel iis visum erat, veri inveniendi studio prava saepius in libros intulerunt. Cf. quae de his rebus disputat Madvigius in adversariorum critic. vol. I p. 11. 12. — Posse in communi illo Vaticani et deteriorum fonte (si qui fuit) aliud fuisse, atque in Vat. est,

nemo negabit, qui omnia mendorum genera satis crebra esse in Vat. reputaverit, deteriorum autem dissensione excitantur certe dubitationes de veritate Vatic. scripturae. Utcumque igitur res se habet, sive ex eodem, quo Vaticanus, archetypo orti sunt deteriores, sive ex alio (a meliorum fonte diverso), multo utique veri similius est, plurimis locis, quibus discrepat Vat. a ceteris, hunc solum errasse, quem saepissime errare cognovimus, quam et Regium (cum reliquis melioribus) et deteriores in eosdem incidisse errores, praesertim cum Regius minus saepe erret quam Vaticanus. Sed multis locis etiam aliud momentum accedere videbimus.

Videamus iam singula. Initium faciam a verborum *collocatione*. Discedit autem in hac re Vatic. a reliquis codicibus his IV. et V. libri locis: IV 6,7 (*hospes esset*); 7,1 (*istius domus*); V 72,16 (*capti erant*); 72,18 (*involutis e carcere capitibus*); 82,23 (*vir Cleomenes*); 84,24 (*ego haec*); 97,17 (*parvis myoparonibus*); 108,18 (*catenis aspiciunt*); 109,27 (*indicta causa*); 118,4 (*tibi cibum*); 118,6 (*mortem filio tuo adferam*); 121,3 (*neque illis neque tibi*); 126,9 (*velit fieri*); [133,13 *nego securi?*].

Quo modo igitur diiudicabimus, utra scriptura singulis locis veri similior sit? Ex sententia nihil peti potest adiumenti, dicendi usu uno loco Zumptius commotum se dicit, ut discederet a Regio. Reliquis autem locis quid faciemus? Veri similius esse supra dixi, his locis veram esse codicis Regii scripturam, nam et Vaticanus saepius aperte perturbat verborum ordinem et consentiens omnium reliquorum non ex uno fonte ductorum codicum non neglegenda videtur esse vox. Accedit quod in reliquis etiam libris Vaticanus et saepius quam Reg. verborum collocationem habet falsam et saepissime a ceteris discrepat omnibus.

Aperte turbatus est verborum ordo in Vaticano his locis:

III 154,2: ut missa est ipse significant pro: missa est, ut ipsa significat.
III 213,23: re in improbissima pro: in re improbissima.
II 166,10: eum quoque vobis pro: eum vobis quoque. (Hoc loco omnes codd. praeter tres: Lag. 42. 29. A. perversam hanc habent verborum collocationem.) — Uno loco, I 107,9, quo, ut superioribus, perturbatus est verborum ordo, ab ipso librario indicata est recta collocatio.

Praeterea omnes editores improbant Vaticani scripturam his locis: III 70,10 licet dicat et II 155,23 id potius more quam merito tuo pro: id more potius suo quam merito tuo. (Unus Klotzius in edit. a. 1837 secutus erat Vaticanum).

Ex codice Regio Parisino in contentionem vocabo totum librum quartum et ex quinto primas quinque paragraphos. Haec enim Verrinarum pars parem versuum numerum occupat atque Vaticani fragmenta trium priorum librorum universa. Codex Regius bis verum verborum ordinem perturbavit: IV 79,28 habet: monumenta. P. requirit Scipio pro: monumenta requirit. P. Scipio; 120,8: itaque aedificiis publicis omnibus privatis, sacris profanis pro: itaque aedificiis omnibus, publicis privatis, sacris profanis. (Congruunt hoc loco cum Regio G3 et λ). Omnino igitur multo saepius in hoc genere errat Vaticanus; sed ea quoque re suspicionem movet et aliquantum dubitationis adfert, quod saepissime (43

locis) unus a reliquorum omnium collocatione discrepat. Sunt autem hi loci: I 111,14 inventus est; II 33,18 suum civem; 55,18 contemnere et neglegere; 56,1 male acceptos ab se (valde hoc loco inter se discrepant libri mscr.); 60,17 illud item (pro: idem illud); 65,27 mecum decedere; 65,28 oppida mihi; 65,31 edidi nomina; 100,32 Romae liceret; 114,34 se eversas funditus esse; 116,6 hostissimum (pro potissimum) Veneri; 124,20 locum illum; 139,26 aequo animo; 155,23 laudarent publice; 156,26 igitur est; 168,25 tu auctoritate; 191,30 litteras primas; III 21,31 ita essent; 28,11 cohors ista; 41,14 dicere aude te; 44,15 civitates Siciliae; 44,19 litteras mittat; 46,8 augendi criminis; 54,25 aequo vellet; 55,13 se accepturum; 58,20 iniurias eorum; 60,5 amplius a me; 84,21 hic interpres; 152,6 amplius voltis; 154,6 hoc sibi; 157,4 iudices vobis; 157,22 hoc crimen in te nos non; 171,26 esset frumentum; 172,15 Cephaloeditanum, Thermitanum; 183,27 non mulio plus (leg. potius); 184,13 moleste ferunt esse; 184,15 esse aliquos; 184,18 quemquam ferre; 191,6 abs te nunc; 199,5 illi quoque homines sunt; 200,15 dare gratis; 202,14 est pecunia; 209,12 mihi res.

Uno loco, III 78,7, non potest cognosci, quid velit Vaticanus; reliqui habent: Tertiam, Isidori mimi, Vat.: TERTIAMIMISIDORIMI. — III 84,27 ex Jordani verbis non perspicio, utrum verborum ordo in Vaticano immutatus sit an trit. iteratum. — Ne III 138,31 quidem satis constat, utrum additae sint in Vaticano litterae se (vel sse), an pro verbis se absolvi scriptum (ut Zumptio videtur) absolvi se. — III 171,1 Halmius veram existimat eam verborum collocationem, quae est in Vaticano; „vulgatam, inquit, vitiosam esse oratio ipsa docet.“ Quod cur iudicet, equidem non video. Immo vero, quin Vaticani, qui habet: pecuniam Timarchidi et Volcatio scribae dedisse, scriptura falsa sit, dubium esse non poterit. Nam primum Volcatium scribam fuisse minime est veri simile. Est Volcatius hic sine dubio idem, qui in libro II. saepius commemoratur, ut §§ 25. 26. 56. Non semel ei pecunia data est, quam Verres sibi ipsi numerari nolebat. Is autem Volcatius § 58 bis dicitur eques Romanus; scriba numquam vocatur. Praeterea, quamquam interdum equites Romani in scribarum publicorum numero videntur fuisse, tamen Verris scribam equitem Rom. fuisse non admodum est probabile. Sed accedit aliud, quod demonstret, reliquorum omnium librorum scripturam (pecuniam Volcatio, Timarchidi, scribae dedisse rectam esse. § 175,1 *de eadem re* haec leguntur: „Cui pecuniam datam dicit? Dic, dic etiam clarius: Volcatio, Timarchidi, Maevio.“ Hunc Maevium eundem esse, qui § 171 scriba vocatur, cum per se ipsum probabile est, tum apparet ex § 176. „Vetat te, inquit Cicero, Volcatius ..mentionem mancipis facere. Timarchides autem...premit fauces defensionis tuae...*Jam vero scriba tuus*...ista te ratione uti non sinet.“ Atque illud quoque animadvertendum est, eodem semper ordine illos homines nominari. Inde patet, retinendam esse vulgatam, abiciendam Vaticani scripturam. — Uno loco haud scio an probandus sit is verborum ordo, quem praebet Vaticanus. Leguntur enim III 170,16 in ceteris codicibus haec: sexagena tritici milia modium. Vaticanus habet: sexagena milia tritici modium. Et sane verba tritici modium non solent inter-

posito numero disiungi. Sed *potuisse* hoc fieri ego non negaverim, neque eadem, quae supra in Vaticano, omnibus locis est collocatio, ut § 86 scriptum est: XII mod. tritici, item §§ 106. 107. 116.

Ex iis, quae adhuc disputavimus, illud certum et planum est, in Vaticano manifesto turbatum esse verborum ordinem novies undeciesve, in Regio ter; (nam iis, quos modo enumeravimus, locis addendi sunt illi, quos supra (p. 7) posuimus.) Regium paucis locis (IV 80,1; [90,36;] 108,26) in verborum collocatione ab omnibus discedere, cum Vaticanus saepissime discrepet, praetermitto. Illud quidem concedendum est, posse in solo Vat. paucis quibusdam locis eum verborum ordinem servatum esse, quo usus est Cicero, sed nisi nova nancti erimus adiumenta critica, et maior Vaticani ad errandum inclinatio et reliquorum, qui non ex eodem omnes fonte profecti sunt, consensus mea quidem sententia commovere iam debebit criticos, ut dubiis omnibus locis in hoc saltem genere a Vaticano recedant. Atque etiam V 109,27 recipiendum est ex reliqu. codd. causa indicta. Errat enim Zumptius, qui perpetuum dicendi morem flagitare censeat indicta causa. Lexica nullum illa quidem adferunt locum, quo legatur causa indicta, sed in eodem Verrinarum libro § 20 extr. in omnibus libris est causa indicta, quod ipse Zumptius recepit; nec dubito, quin aliis etiam locis idem inveniatur.

Transeamus iam ad alterum locum, qui pertinet ad *verba aut a Vaticano omissa aut a reliquis omnibus addita.*

Omittit autem Vaticanus verba, quae sunt in ceteris, his locis:
V 71,11; 82,5; 96,8; 98,2; 115,1; 116,10; 118,3; 121,14; 123,23; 125,18; 126,3; 129,22; 132,9; 133,25.

Singulis locis ut argumentis quam certissimis, utrum veri similius sit omissas esse voces in Vaticano, an additas in reliquis, possimus iudicare, quaeramus necesse est et cuiusmodi sint ea, quae omissa sunt in Vaticano, atque ad quas causas referenda, et qualia quibusque causis orta sint additamenta in Regio (vel in exemplo illo, ex quo transscriptus est Regius). Nam deteriores, cum saepissime nulla certa causa perspicua et addant et omittant singula plurave verba, nunc curare nihil necesse est.

Additae sunt in *Regio* integrae voces his locis:

IV 10,33 in ante bona ratione.
41,19 quae.
88,15 in (R3).
134,30 et praecio (i. e. pretio) adductam civitatem.
144,16 cuiusmodi constat (R3).
91,8 si non certum, at simillimum est veri, provincia additum esse ante provisa (R3).

Quod si quaerimus, quibus causis orta sint additamenta illa, omnia, ni fallor, ex iteratione verborum ducenda sunt. Aperte hoc cadit in tres locos 41,19; 88,15; 134,30. Nam 41,19 (quo loco a librario ipso animadversum et correctum est mendum) scriptum est domoque *quae*, sed quae punctatum; 88,15 videtur fuisse in exemplo illo, ex quo R3 profecti sunt, idem quod est in Regio: innocentem in hominem (in superscriptum); 134,30 R. haec habet: pretio (?) adductam civitatem *et praecio adductam*

civitatem et praecio parvo. Patet substantivo pretio inductum esse librarium in errorem, sed hoc quoque loco ipse videtur correxisse mendum, quattuor quidem illa verba lineam subductam habent. Atque etiam 91,8 omnes editores provincia illud cum Garatonio διττογραφίᾳ ex sequenti provisa ortum esse iudicant. Sed reliquis etiam duobus locis eadem mihi videtur erroris fuisse causa. Priore loco 10,33 verba haec sunt: Concede ut impune emerit, modo ut *in* bona ratione emerit; aberrasse videntur librarii oculi ex altero illo ut ad prius; vetus codex, Regii fons, habuisse videtur VTINPVNE. (Vetere errore in codice antiquissimo etiam alterum illud ut mihi videtur additum esse.) — 144,16 leguntur in R3 haec: cuius omnes vigilias in stupris constat esse consumptas, *cuiusmodi constat* hoc vero . . *Zumptio* quoque haec e prioribus mendose videntur repetita. *Madvigius* (epist. ad. Orell. p. 86) totum hunc locum esse corruptum, plura excidisse, verborum ordinem turbatum esse iudicat. — Etiam duo illa verba, quas V116,9 et 125,16 iniuria addita esse supra (p. 6) dixi, orta sunt syllaba proxima perperam iterata: 116,9 (Cleome*ne*) *ne*, 125,16 (dux*it*) *et*. Nulla igitur in codice Regio deprehenditur interpolatio quae dicitur.

In *Vaticano* exciderunt et singula et plura verba saepissime. Octoginta fere locis omnes editores perperam verba omissa esse consentiunt, plus triginta locis dubitant, utrum recte an falso desint. Non raro certae cognoscuntur causae, ad quas error librarii est referendus, maxime proximorum aut verborum aut terminationum similitudine deceptus omisit singula vel plura verba, ut I 106,6 AB, sequitur A. POSTVMIO. I 143,12 video in excidit post quid eni(m) (Q*VIDENIVIDE*O*IN*). — II 32,12 veri simile est excidisse civis Romanus post verba civi Romano; ib. rerum excidit post ceterarum. — 42,9 fore deest post turpiorē. — 55,20 et post cogitaret. — 63,8 alia Panhormi post alia Agrigenti. — 156,27 qui ante quidem. — 167,11 omissa sunt verba existiment aut quomodo, quia sequitur existiment. — III 27,23 omnibus post rebus. — 52,10 ac locupletissimos post honestissimos. — 56,2 honestissimae civitatis ante honestissimo. — 155,20 frater ante fraterculo. — 156,13 ludibundi quae volebatis post efficiebatis. — 171,5 suum probare post improbare. — 186,7 nobilissimosque post potentissimos. — 200,12 addite nunc eodem istius edicta, instituta, iniurias; sequitur addite. — 200,15 quid hoc iniquius, antecedunt verba quid hoc indignius, quae bis posita sunt. — 201,7 si excidit ante sine. — 220,6 AB ante ARATORVM. — 228,26 non pertulerunt post potuerunt. Ex (quarto et) quinto libro hic sunt commemoranda haec: V 83,13 ubi legati omissa sunt ante ubi; 94,26 *VTI*LLVD ante *VTI*CENSE; 135,10 remum ante rem; 81,17 exceptio*ne* post si*ne*. Haud raro etiam in fine versuum omittere solet Vaticani librarius ut singulas litteras, ita integra vocabula, ut III 26,8 in; 53,20 non; 67,1 vi; 213,23 se, alia. Non raro error ortus esse videtur brevitate vocabulorum, ut I 124,12; III 193,5 a (cf. I 106,29; 109,31); I 125,16; III 143,13 ut; II 59,7; III 69,24; 68,15 se; II 126,31 de; III 191,16 in; quibus exemplis multa possunt addi. (cf. IV 19,25 is (post quanti); V 116,14 se (post audistis); 126,11 eo (post QVO^D^) et 98,5; est 99,11;

non 135,16. Sed permultis locis, quae sit erroris causa, vix poterit perspici. Pauca hic adfero exempla: I 114,17 deest quisquam; 114,26 vide; 188,12 semper; 157,20 eius; 176,11 defensio. Plerumque error tribuendus videtur merae neglegentiae, ut IV7,4 Cupido; 135,12 tot tam; 131,16—132,4.

Itaque cum hoc mendorum genus in Vaticano sit frequentissimum, alterum additamentorum in Regio perrarum, interpolationis nullum in eo extet exemplum, maxime est probabile, omnibus illis locis aut plurimis Regii auctoritati esse obsequendum, ad quam accedit illa, quantulacumque est, deteriorum codicum auctoritas. Illud enim nullo modo est veri simile, et in meliorum et in deteriorum archetypo, qui longe inter se differebant, in eadem additamenta incidisse librarios, in Vaticano solo, qui multo propius ad deteriorum archetypum accedit, veram servatam esse lectionem. Recte igitur editores fere omnes longe plurimis locis a Vaticano discesserunt. Omnes erratum esse in Vaticano statuunt his locis: V 71,11; 115,1; 118,3; 133,25. Solus Klotzius in editione a. 1837 secutus est Vaticanum duobus locis: V 96,8; 129,22. Sed recte idem postea mutavit sententiam; nam quod priore loco legitur in Vaticano: illa aestiva praetoris accedunt, non est Ciceronianum; altero multo est veri similius, eius omissum esse in Vat. post ego, quam additum in omnibus reliquis. Uno loco Klotzius in omnibus editionibus sequitur Vaticanum: 123,23 omittit est post satis.

Halmius, qui plurimi aestimat Vaticanum, septem locis probat eius scripturam, uno loco solus: 126,3 omittit legis, (sed in editionibus a. 1868 et 1874 addit vos post eius.) At additum esse legis in Regio omnibusque reliquis minime est credibile. Ego non dubito, quin vera sit hoc loco Victorii coniectura ei vos legi. — Altero loco, 121,14, Halmius a. 1867 et 1868 cum reliquis codicibus scripserat: vivunt et adsunt; in editione sexta (a. 1874) omittit coniunctionem et, quod Klotzius quoque a. 1837 et Eberhardus fecerunt, sed iniuria. Nam neque Regius umquam addit hanc particulam, et Vaticanus omittit saepissime. Falso omissum esse hoc vocabulum V 107,8 et 128,8 supra (p. 6) diximus; quibus locis addendi sunt hi: II 24,8; 55,20 (post cogitaret); 155,16; 156,27; III 175,25; 202,19; 225,21; (141,3 et te); aliis locis non nulli editores recte omissam esse hanc particulam iudicant, ego non dubito, quin iis quoque neglegentia vel errore librarii exciderit. Sunt autem hi loci: III 22,10; 67,5; 75,20; 156,11; 175,24; 183,27. — Tertio loco (132,9) Halmius in prioribus editionibus secutus erat Vaticanum, in ed. sexta addit dativum tibi ante obici cum reliquis libris manu scriptis. — V 116,10 Halmius et Eberhardus vocem Cleomenes cum Vaticano eiciendam esse censent, sed codicum auctoritas cogit, ut retineamus.

Duobus locis omnes fere Verrinarum editores parent Vaticano: V 82,5 et 98,2. Atque priore quidem loco quin reicienda sit meliorum librorum scriptura: tum dum navigaret, non poterit esse dubium; sed utrum hic cum Vaticano omittendum sit tum, an cum deterioribus (id quod fecit Kl. 1)*) scribendum tum cum navig. diiudicare

*) Editorum nomina saepius singulis litteris indicabo. E. significabit Eberhardum, J. Jordanum, K. Kayserum, R. Richterum, Z. Zumptium; Kl. Klotzii editionem eam, quae prodiit 1837; Kl. 1 et Kl. 2

non audeo. Altero autem loco (98,2), quo in codicibus est loci ipsius portusque natura, in solo Vatic. omittitur portusque, non idcirco exturbandum esse illud portusque arbitror, quod in Vatic. deest. Habet sane aliquid offensionis: Atheniensium classis in eo ipso portu *loci ipsius portusque* natura victa atque superata est. Possis conicere, in margine archetypi adscriptum fuisse portus, ut explicarentur verba loci ipsius, post illud portus in textum irrepsisse et a librario nescio quo additam esse particulam que; haec coniectura veri esset simillima, si in deterioribus solis aut in his et Vaticano verba portusque extarent, in melioribus deessent. Sed extant in melior. et dtt., extant in Regio, in quo eiusmodi interpolationis exemplum inveni nullum. Licet, ni fallor, verba loci natura referre ad *universam* illius regionis naturam, ad Insulae situm, Plemmyrium, loca omnia, quae circa portum sunt, portus natura tum spectabit ad eas res, quae portus Syracusani sunt propriae; ut generali notioni h. l. addita sit specialis.

Reliquus est unus locus, V 125,18, quo Vaticanus non una in re discrepat a ceteris. In Vaticano sunt haec: at nunc per *hunc* spoliat*a* nav*i* a praedonibus ipsi in hostium loco numeroque duc*e*mini; reliqui habent: at nunc per *me* spoliat*i* nav*e* a praedonibus *abducta* ipsi in hostium loco numeroque (deteriores: numero locoque) duc*i*mini (dtt.: duc*e*mini). De vocibus hunc (me), navi (nave), ducemini (ducimini) alio loco est dicendum, nunc agitur de verbis abducta et spoliata (nam haec duo non possunt separari). Editorum non minor hoc loco est dissensio, quam codicum. Kl. et Halm. cum Vatic. sentiunt; Z., Kl.1, J., K., E. cum reliquis; Kl.2 confusione ex diversis illis lectionibus miram quandam atque singularem effinxit et commentus est: at nunc, per hunc spoliata navi a praedonibus abducta, in host loc. num. ducemini. Richter denique recepit: spoliati navi [a praedonibus abducta] e. q. s. Nihil sane in hoc loco esset offensionis, si verba a praedonibus abducta deessent, sed inde, quod in uno libro satis neglegenter scripto *unum* verbum deest, *tria illa* verba subditicia esse conicere non licet. Klotzium nihil moror. Sed ne Vaticani quidem scriptura ab Halmio recepta defendi potest. Primum enim, etiam si per hunc spoliata significare possit idem quod huius culpa spol. (quod ego ambigo), tamen non credibile est Ciceronem scripturum fuisse per hunc spoliata navi a praedonibus, sed scripsisset sine dubio huius culpa navi a praedonibus spoliata. Nam quicumque aut legerit aut audiverit verba per hunc spoliata navi, ita haec intelleget atque interpretabitur, quasi Verris opera navis illa sit spoliata. Sed multo gravius est, quod, etiam si Halmii interpretationem verborum per hunc veram esse putemus, illud spoliata navi a praedonibus a *veritate* abhorret. Non enim a praedonibus *spoliata* erat navis Tyndaritanorum, sed *incendio deleta*. Nec fugit ea res Halmium; sed scriptum esse a Cicerone spoliata, non incensa opinatur, ut hostium spoliis (quorum modo facta erat mentio)

---

editiones Teubnerianas priorem (a. 1852) et alteram (a. 1863); H. Halmii edit. orat. select. XVIII. (1868); H.5 et H.6 eas editiones Weidmannianas, in quibus in adnotationes patrio sermone scriptae additae sunt textui (1867. 1874).

opponeretur. At idem fit, si cum melioribus legimus spoliati (nave a praedonibus abducta). Immo melius sic verba per hunc (i. e. *per imperatorem Romanum*) spoliati respondent superioribus illis: vobiscum Africanus hostium spolia . . . communicavit, i. e. *ab imperatore Romano* hostium spoliis ornati estis, quam si diceret: olim ab imperatore Romano spoliis *vos* ornati estis, nunc a praedonibus *navis vestra* spoliata est. Accedit quod adeo omnium Siculorum naves a Verre erant exinanitae, ut nihil esset reliquum, quo a praedonibus possent spoliari, nisi forte de radicibus palmarum agrestium, quas in navibus illis invenisse praedones dicuntur § 99, cogitandum tibi videtur. Ego non dubito, quin in Vatic. fonte neglegentia omissum fuerit participium abducta, a Vaticani librario consulto alterum illud participium spoliati, ut mendum tolleretur, mutatum sit in spoliata. — *Vulgata* est illa quidem non prorsus libera offensione, — nam classem a praedonibus incensam, non navem abductam esse Cicero narravit (§ 91) — sed multo graviores dubitationes habent Vaticani verba. Qua ratione tollenda sit illa, quae in melioribus est, difficultas, utrum non satis accurate Cicero scripsisse putandus sit, an abducta idem sit quod erepta, an re vera non omnes naves a praedonibus sint inflammatae, sed una alterave abducta, nolo diiudicare.

Dixi de iis locis, quibus plenae voces in Vaticano desunt; his addo eos, quibus aut litterae aut syllabae, quae in reliquis extant, omissae sunt, quod quidem sexies est factum.

V 127, 19 reliqui habent: (exterae nationes) nunc omnes egent, cum Athenas, Pergamum, Cyzicum, Miletum, Chium, Samum, totamque Asiam, Achaiam, Graeciam, Siciliam tam in paucis villis **inclusas** esse videatis. Vaticanus habet **inclusa** pro inclusas. Quod cur Jordano rectum videatur (in adnotatione) non assequor. In verborum contextum recte omnes editores receperunt inclusas. Omissae sunt singulae litterae in Vat. 120 fere locis, additae in Regio 70 fere; omissa est littera s in Vat. quindecies, addita in Regio novies, sed bis correctum, ut videtur eadem manu, est mendum. Praeterea saepissime in fine verborum litteras omittit Vaticanus, cf. ex iis, quae supra attuli, exemplis, IV 19, 27; V 80,6; 94,23; 98,9; 104,5; 121,6; 126,4.11; 131,14; 133,23; (135,11.) — 121,14; Regius 5 locis addit in fine verborum litteras: V 84,30; 116,9; 121,8; 126,29; — 129,17. —

128,8 Vaticanus habet a te, reliqui abs te. Non vituperandus est Halmius, quod Vaticani auctoritate, ut semper fere, confisus a te in textum recepit; nam errant qui Zumptium (ad III 138) secuti Ciceronem in Verrinis *semper* scripsisse credunt abs te. Plerumque sane in iis libris, quos primos edidit Tullius, ante pronomen te usus est pleniore praepositionis forma abs, non tamen semper. Legitur a te p. Quinct. § 57; p. Rosc. Am. 44.; in Verrin. non tantum IV 43 (in R 3. λ), quem locum adfert Zumptius ad V 154, sed etiam I 54. 93. III 115 sine ulla scripturae discrepantia, quibus locis ipse Zumptius habet a te; ac ne illud quidem concedo, tribus illis locis, quibus restituendum esse abs Zumptius in indice p. 1087 censet, revera a Cicerone scriptum esse

non audeo. Altero autem loco (98,2), quo in codicibus est loci ipsius portusque natura, in solo Vatic. omittitur portusque, non idcirco exturbandum esse illud portusque arbitror, quod in Vatic. deest. Habet sane aliquid offensionis: Atheniensium classis in eo ipso portu *loci ipsius portusque* natura victa atque superata est. Possis conicere, in margine archetypi adscriptum fuisse portus, ut explicarentur verba loci ipsius, post illud portus in textum irrepsisse et a librario nescio quo additam esse particulam que; haec coniectura veri esset simillima, si in deterioribus solis aut in his et Vaticano verba portusque extarent, in melioribus deessent. Sed extant in melior. et dtt., extant in Regio, in quo eiusmodi interpolationis exemplum inveni nullum. Licet, ni fallor, verba loci natura referre ad *universam* illius regionis naturam, ad Insulae situm, Plemmyrium, loca omnia, quae circa portum sunt, portus natura tum spectabit ad eas res, quae portus Syracusani sunt propriae; ut generali notioni h. l. addita sit specialis.

Reliquus est unus locus, V 125,18, quo Vaticanus non una in re discrepat a ceteris. In Vaticano sunt haec: at nunc per *hunc* spoliat*a* nav*i* a praedonibus ipsi in hostium loco numeroque duc*e*mini; reliqui habent: at nunc per *me* spoliat*i* nav*e* a praedonibus *abducta* ipsi in hostium loco numeroque (deteriores: numero locoque) duc*i*mini (dtt.: duc*e*mini). De vocibus hunc (me), navi (nave), ducemini (ducimini) alio loco est dicendum, nunc agitur de verbis abducta et spoliata (nam haec duo non possunt separari). Editorum non minor hoc loco est dissensio, quam codicum. Kl. et Halm. cum Vatic. sentiunt; Z., Kl.1, J., K., E. cum reliquis; Kl.2 confusione ex diversis illis lectionibus miram quandam atque singularem effinxit et commentus est: at nunc, per hunc spoliata navi a praedonibus abducta, in host loc. num. ducemini. Richter denique recepit: spoliati navi [a praedonibus abducta] e. q. s. Nihil sane in hoc loco esset offensionis, si verba a praedonibus abducta deessent, sed inde, quod in uno libro satis neglegenter scripto *unum* verbum deest, *tria illa* verba subditicia esse conicere non licet. Klotzium nihil moror. Sed ne Vaticani quidem scriptura ab Halmio recepta defendi potest. Primum enim, etiam si per hunc spoliata significare possit idem quod huius culpa spol. (quod ego ambigo), tamen non credibile est Ciceronem scripturum fuisse per hunc spoliata navi a praedonibus, sed scripsisset sine dubio huius culpa navi a praedonibus spoliata. Nam quicumque aut legerit aut audiverit verba per hunc spoliata navi, ita haec intelleget atque interpretabitur, quasi Verris opera navis illa sit spoliata. Sed multo gravius est, quod, etiam si Halmii interpretationem verborum per hunc veram esse putemus, illud spoliata navi a praedonibus a *veritate* abhorret. Non enim a praedonibus *spoliata* erat navis Tyndaritanorum, sed *incendio deleta*. Nec fugit ea res Halmium; sed scriptum esse a Cicerone spoliata, non incensa opinatur, ut hostium spoliis (quorum modo facta erat mentio)

editiones Teubnerianas priorem (a. 1852) et alteram (a. 1863); H. Halmii edit. orat. select. XVIII. (1868); H.5 et H.6 eas editiones Weidmannianas, in quibus in adnotationes patrio sermone scriptae additae sunt textui (1867. 1874).

opponeretur. At idem fit, si cum melioribus legimus spoliati (nave a praedonibus abducta). Immo melius sic verba per hunc (i. e. *per imperatorem Romanum*) spoliati respondent superioribus illis: vobiscum Africanus hostium spolia . . . communicavit, i. e. *ab imperatore Romano* hostium spoliis ornati estis, quam si diceret: olim ab imperatore Romano spoliis *vos* ornati estis, nunc a praedonibus *navis vestra* spoliata est. Accedit quod adeo omnium Siculorum naves a Verre erant exinanitae, ut nihil esset reliquum, quo a praedonibus possent spoliari, nisi forte de radicibus palmarum agrestium, quas in navibus illis invenisse praedones dicuntur § 99, cogitandum tibi videtur. Ego non dubito, quin in Vatic. fonte neglegentia omissum fuerit participium abducta, a Vaticani librario consulto alterum illud participium spoliati, ut mendum tolleretur, mutatum sit in spoliata. — *Vulgata* est illa quidem non prorsus libera offensione, — nam classem a praedonibus incensam, non navem abductam esse Cicero narravit (§ 91) — sed multo graviores dubitationes habent Vaticani verba. Qua ratione tollenda sit illa, quae in melioribus est, difficultas, utrum non satis accurate Cicero scripsisse putandus sit, an abducta idem sit quod erepta, an re vera non omnes naves a praedonibus sint inflammatae, sed una alterave abducta, nolo diiudicare.

Dixi de iis locis, quibus plenae voces in Vaticano desunt; his addo eos, quibus aut litterae aut syllabae, quae in reliquis extant, omissae sunt, quod quidem sexies est factum.

V 127, 19 reliqui habent: (exterae nationes) nunc omnes egent, cum Athenas, Pergamum, Cyzicum, Miletum, Chium, Samum, totamque Asiam, Achaiam, Graeciam, Siciliam tam in paucis villis **inclusas** esse videatis. Vaticanus habet **inclusa** pro inclusas. Quod cur Jordano rectum videatur (in adnotatione) non assequor. In verborum contextum recte omnes editores receperunt inclusas. Omissae sunt singulae litterae in Vat. 120 fere locis, additae in Regio 70 fere; omissa est littera s in Vat. quindecies, addita in Regio novies, sed bis correctum, ut videtur eadem manu, est mendum. Praeterea saepissime in fine verborum litteras omittit Vaticanus, cf. ex iis, quae supra attuli, exemplis, IV 19, 27; V 80,6; 94,23; 98,9; 104,5; 121,6; 126,4.11; 131,14; 133,23; (135,11.) — 121,14; Regius 5 locis addit in fine verborum litteras: V 84,30; 116,9; 121,8; 126,29; — 129,17. —

128,8 Vaticanus habet a te, reliqui abs te. Non vituperandus est Halmius, quod Vaticani auctoritate, ut semper fere, confisus a te in textum recepit; nam errant qui Zumptium (ad III 138) secuti Ciceronem in Verrinis *semper* scripsisse credunt abs te. Plerumque sane in iis libris, quos primos edidit Tullius, ante pronomen te usus est pleniore praepositionis forma abs, non tamen semper. Legitur a te p. Quinct. § 57; p. Rosc. Am. 44.; in Verrin. non tantum IV 43 (in R 3. λ), quem locum adfert Zumptius ad V 154, sed etiam I 54. 93. III 115 sine ulla scripturae discrepantia, quibus locis ipse Zumptius habet a te; ac ne illud quidem concedo, tribus illis locis, quibus restituendum esse abs Zumptius in indice p. 1087 censet, revera a Cicerone scriptum esse

abs. Nam I 111 solus Vaticanus habet aps, cuius auctoritati quantum tribuendum sit, satis multis exemplis luculentissimis docuimus; altero loco, III 85, ne in Vaticano quidem est abs te, sed Brunnio teste ab te; tertio loco, II 180, cum solus Lg. 42, cui tamen multo maior quam Vaticano habenda est fides, scriptum habeat a te, dubitare licet, utrum a Cicerone profectum sit. Fortasse illis, quos attuli, locis unus alterve ex Verrinis addendus est. Ut autem iis, de quibus modo dixi, locis solo Vaticano auctore non licet addere litteras bs, ita easdem litteras V 128, 8 cum solo Vaticano non licet omittere.

99,11 in reliquis est pervagatus, in Vat. verbum simplex vagatus. Klotzius 1837 probaverat Vat. scripturam; nunc omnes cum reliquis codicibus faciunt. Omissae sunt syllabae in Vatic. septuaginta fere, additae in Regio decem locis, quorum plerisque mendum ortum est iteratione (eiusdem vel) similis syllabae aut mero errore (statim correcto). Utrum igitur hoc loco et iis, quos mox adferam, veri similius sit, iniuria omissas esse in Vatic., an in reliquis iniuria additas, per se planum est. Ipsa illa syllaba per alibi nec in Vaticano deest, nec in Regio additur. Praepositiones autem in verbis compositis omittuntur in Vatic. decies, adduntur in Reg. bis. — Item omissa est praepositio in Vat. 109,27 (inanivit pro exinanivit), quo loco ad unum omnes editores spreverunt Vatic. scripturam; recte vel ideo, quod simplex verbum inaniendi nisi apud poetas et Plin. maiorem non invenitur. — 130,4 deteriores habent virtutem, Vatic. veritatem, Regius et reliqui meliores severitatem. Probabile est in Vaticani et deteriorum archetypo fuisse veritatem, sed a Cicerone hoc loco scriptum esse veritatem mihi nec Maii nec Halmii verbis persuadetur. Nam sententia loci utrumque permittit; in Regio se additum est numquam, in Vaticano omissum quinquies pronomen se (II 59,7; III 68,15; 69,24; 203,27; 213,23), sexies syllaba se: II 190,23 (es pro esse); II 56,3; 66,9; 86,27; III 68,7; 138,33 (his quinque locis in Vat. est se, in reliquis sese).

Denique 118,8 in Vat. est datur, in reliquis dabatur. Klotzius 1837 secutus erat Vat., nunc omnes imperfectum probant. Recte; nam antecedunt imperfecta sex, praesens nullum. Similiter syllaba ba omissa est in Vat. I 152,5; III 55,6; V 72,15; addita in Regio numquam.

Imminuta iam ac labefactata est codicis Vaticani fides gravissime, et haud scio an ignoscendum sit, si quis in reliquis etiam rebus dubiis plus tribuat reliquis bonae notae libris. Sed nolo ista ratione agere, praesertim cum is locus nunc sit tractandus, ex quo optime, quanta codicis alicuius auctoritas et fides sit, potest cognosci, *additamenta* dico *et interpolationes*. Dicendum est enim de iis quarti et quinti libri locis, quibus Vaticanus habet aut singula aut bina verba, quae in reliquis omnibus desunt. Sunt autem (praeter eos, quibus aperte falsum esse additamentum supra dixi,) septendecim loci, qui huc pertinent. Priusquam eos enumerem, quae eius generis exempla in reliquis Verrinarum libris palimpsestus Vaticanus habeat videamus. Reicienda manifesto sunt et ab omnibus reiecta editoribus (si ab uno Klotzio discesseris, qui non paucis locis vel ineptissima Vaticani additamenta in edit. a. 1837 receperat) sunt

verba, quae in solo Vaticano leguntur, locis triginta. Tribus horum locorum librarii errore idem verbum iteratum est: II 116,7 gratum, III 29,18 cuius, 78,6 hic. Prioribus duobus locis nullo modo potuit a Cicerone bis poni idem vocabulum, tertio possit quispiam opinari, recte repeti pronomen hic; sed quoniam nulla vis est hoc loco in verbis: Hic (hic) est Docimus, suo iure editores omnes (etiam Klotzius, id quod sane mireris,) alterum illud hic damnaverunt.

Bis vocabuli antecedentis extrema syllaba iterata est: II 102,6 ipse *se*; 143,29 si . . . poposcisset *et* eamque . . . pecuniam abstulisset. His similis est tertius locus II 102,7: ipse . . . dixerat et in sermone multis *idem* demonstrarat licere nomen recipere absentis. Mihi quidem non dubium est, quin illud idem dittographia, quam dicunt, ortum sit. Erat in exemplo proposito MVLT*ISDEM*ONSTRARAT; librarius sibi videbatur videre isdem, quod mutabat in idem, idque Klotzius, ut solet, recepit, ac ne a. 1852 quidem nullo modo idem hoc loco ferri posse perspexerat. (1863 scripsit: multis [item] demonstrarat.)

Quinque locis vocabulum, quod paulo ante scriptum est, errore repetitur: II 1,6; 155,15; III 183,4; 213,25; 223,14. Primo loco haec leguntur: Suscepi enim causam totius ordinis, suscepi *enim* causam rei publicae. Non potest alterum illud enim defendi codicis praestantissimi, Lag. 42., auctoritate, nam eius librarius substantivo causam inductus est in errorem, ut scriberet: suscepi enim causam rei publicae, omissis iis, quae media interiecta sunt. — II 155,15 haec habet palimpsestus Vat.: quo confugies? ubi nitere? *quo* modo aratorum . . . . maximum numerum abs te alienasti: nunc de Siculis civitatibus quid ages? Paulo accuratius Ciceronis verba legenti non potest esse dubium, quin inter se opponantur: modo et nunc. Klotzius absurde scripserat: Quomodo? Aratorum . . . — Eandem erroris causam esse primo adspectu cognoscitur tribus reliquis locis: III 183,4 quod eorum hominum fidei *hominum* tabulae publicae . . . committuntur; 213,25 homines . . . ad crimen defendendum non *at* quid (Vat. *quis*) fecerit quispiam proferre solent, sed quid probarit. (At ortum ex praepositione ad, quae saepe in Vat. scribitur at; quis pro quid scripsit librarius inductus pronomine quispiam, quod sequitur.) — 223,14 si senatores iudicent, hoc certe *iudice* unum genus . . pecuniae . . cogendae nullo modo posse reprehendi. (Eiusdem generis sunt V 72,18 cum et 130,6 satis.)

Ut supra in pronomine quis sine dubio erratum est propterea, quod librarii animo obversabatur illud quispiam, quod brevi intervallo interposito sequitur, ita II 34,25 ex iniuria additum est, quia pari intervallo sequitur ex: selecti e conventu aut *ex* propositi ex negotiatoribus iudices nulli.

I 139,8 addita est particula et (qui cum sciret me *et* ex Mustio vivo audisse, non sequitur alterum et), quod factum est aut prava repetitione syllabae et (verbi sciret), aut, id quod mihi probabilius videtur, dittographia praepositionis ex. Idem cadit in II 84,14: Praetoris iniurias, inquit Cicero, tacite, hospitis placide ferendas arbitrabatur. Vaticanus male ante tacite habet facile, quod a

librario obdormiscente, cum in exemplo videret TACITE, pro FACILE habitum est, post, cum iterum oculos ad librum propositum convertisset, verum agnovit. Simillimum est, quod supra (p. 11) commemoravi, mendum in codice, ex quo R 3 originem duxerunt: PROVINCIAPROVISA. — Idem prorsus cadit in III 155,16, ubi primum ante plurimum mendose adiectum est. — Uno loco et ex antecedentibus et ex sequentibus ducendus est error: III 21,34 ad suos improbissimos *adque* quaestus converteret. (Cf. V 135,11 subito ante suppeditatam.)

Aliis locis *certam* mendi causam adferre non possum. II 100,27 inter verba: tribunorum plebis et cum insertum est quod; fuit, ni fallor, in libro proposito QVOM, unde, ut supra facile tacite, factum est et quod et cum. (Etiam III 154,5 quod et cum permutata sunt.) — 124,20 extat in Vat.: cui neque commercium quidem pro cui ne comm. qu. Fuitne: cui nec commercium quidem, prima nominis commercii littera perperam duplicata? — III 141,25 quid interfuit, utrum ... hoc decerneres an .. *ut* tute de te profiterere? Mutato ordine videntur primae sequentis vocabuli litterae mendose esse repetitae. Klotzium illud ut probasse noli mirari. — 184,13 tametsi *id* cum in eo ordine videamus; *id* fortasse ex praecedentis vocis ultima et prima insequentis voculae littera neglegenter lecta ortum. Receperat Klotzius; absurde! — Sed unde natum sit II 139,18 qui ante cum (quom?), III 69,5 septu interiectum inter damnari et mavultis, 156,5 ii, quod legitur inter non et hoc, 175,25 in quibus nihil *a te* fictum (Halmio ex *ad*fictum ortum videtur), 223,9 in (expunctum) equidem me non videre fateor. Ac ne II 66,6 quidem et 86,25 unde originem traxerint verba ne atque et .. sponte mihi perspicuum est. Priore loco haec leguntur: in senatu *ne* esse, locis commodisque publicis uti vetuit. Videtur illud ne iam in archetypo fuisse, ex quo et Vaticanum et deteriores fluxisse credo; nam deteriores habent ne esset, ut solebant corrigere librarii, si quid iis falsum videbatur. Klotzio nimirum probatur: ne esset! — Altero loco haec extant in Vat.: Scipio, qui hoc dignum populo Romano arbitraretur, bello confecto socios *et* sua *sponte* per nostram victoriam recuperare, Siculis omnibus Karthagine capta, quae potuit, restituenda curavit. Delenda esse et sponte patet. Klotzius odoratus erat: Socios sua et sua sponte .... recuperare!

Verum his erroribus forsitan ignoscas. At reliquum est tertium vitiorum genus, gravius his atque foedius. Non raro enim in codicis illius, qui Vaticani librario propositus fuit, margine verba non solum explicandi, sed etiam corrigendi causa adscripta erant, quae in Vaticano palimpsesto in textum sunt recepta. Huc pertinere II 68,23; 154,3; 169,27 mihi quidem certum et exploratum est. II 68,23 verba haec sunt: homo domi suae *cum primis* locuples. In margine adscriptum invenit Vaticani librarius in, nam homo nescio qui illud *cum primis* locuples, ne perperam intellegeretur, interpretatus erat notiore *in primis* locuples. Librarius utrumque (et cum et in) in verborum contextum recepit, ut nunc in eo extet: cum in primis locuples. — Eadem est ratio alterius loci II 154,3: is est *enim* nimirum SOTER,

qui salutem dedit. Omnibus, Klotzio nimirum excepto, illud enim pro interpretamento particulae nimirum est. — II 169,27 scripserat Cicero: apud publicanos gratiosus, sciolo illi homini magis placuit vel vulgatius esse visum est gratiosus adversus, quod in margine notatum vel superscriptum in textum irrepsit, ut in Vat. legatur: apud adversus publicanos gratiosus. Klotzio item melius visum est a. 1837 gratiosus adversus. — Idem homo I 122,24 addiderat, ni fallor, ad verba tribunus plebis nomen Quintii, quem Klotzius ex Vaticano, praenomine ornatum, a. 1837 recepit, postea rursus eiecit. — Uno denique loco, III 171,1, aperte quae proprie dicitur interpolatio deprehenditur; additum enim est verborum ordine mutato loco perperam intellecto particula et: pecuniam Timarchidi *et* Volcatio scribae dedisse. Accuratius de hoc loco disputatum est supra.

Quoniam igitur additamenta in codice Vaticano satis multa inveniri cognovimus, orta illa non solum, ut fieri solet, errore et neglegentia librarii, sed etiam interpretandi et emendandi studio, dubium vix poterit esse cuiquam, quin iis quoque locis, quibus per se ipsa verba in Vaticano solo addita non sunt improbanda, reliquorum consensui plus sit tribuendum, quam Vaticani auctoritati nimis iam imminutae.

[Facile omnes sibi persuadebunt, interpretamentum in textum pervenisse (Klotzium videlicet his locis dubiis in editione a. 1837 semper fidem habuisse Vaticano vix est quod commemorem), II 152,21. Meliores libri habent: sive *togatum* sive Siculum rogato, Vaticanus cum plerisque: sive *civem Romanum* sive Siculum rogato.] Interpolationem olent hi loci: II 55,24; 64,24; 102,8; III 45,26; 53,16; 74,15; 85,3; 140,23; 185,23. Atque primo quidem loco, II 55,24, additum est postulatum: antequam in ius aditum postulatum esset, unde Klotzius a. 1837 scripserat: antequam in ius aditum, postulatum esset, quod postea, ut ceteris omnibus, ita ipsi quoque displicuit. — II 64,24: tam multos *testes* huc evocare non potuissem. Testes in margine videtur fuisse adscriptum. — II 102,8: se exemplo fecisse, quod fecisset. Vatic. habet exemplo multorum, quod dicendi genus sane usitatius est. Sed veri est similius, illud multorum ab uno nescio quo emendandi causa adiectum, quam ab reliquis omnibus esse omissum. Vulgatam exemplo posse confirmari Jordanus ostendit. Klotzius et hoc loco et II 152,21 (civem Romanum pro togatum) Vaticanum in *omnibus* editionibus secutus est. — III 45,26 errore videtur omissa fuisse in libro proposito particula que, addita est mendi tollendi causa *a*. — III 53,16 item alio errore commisso (omissa sunt verba ac diligentissimus, vel potius iam in exemplo proposito videntur defuisse) additum est a Vatic. librario et. Reliqui habent: Nympho est Centuripinus, homo navus et industrius, experientissimus ac diligentissimus arator; Vaticanus: Nympho est C., h. n. et industrius *et* experientissimus arator. Hoc loco Kayserus solus, vir doctissimus, sed interpolationum indagandarum nimis sane studiosus, secutus Vaticanum verba ac diligentissimus expellenda existimat. Quae cum uncis circumscripsisset, non poterat non addere cum eodem libro particulam et. Klotzius 1837 et verba ac diligentissimus et voculam et retinuerat. — 74,15 civitates explicandi causa addi-

tum videtur. — 85,3 vulgo legitur: civitas in insula inculta tenuique posita, Vaticanus addit in loco (alios librarii errores manifestos, qui non pertinent ad rem, de qua quaerimus, consulto semper omitto, ut hoc loco, Vat. habere tenuitquae pro tenuique). Additamentum illud in loco suspectum est et participii posita collocatione et loci ipsius sententia et reliquorum librorum consensu; nam causa, cur in omnibus exciderit, adferri potest nulla. — 140,23 substantivum nomine, quamquam et Halmio et Kaysero et Klotzio (Kl., Kl.2) probatur, mihi non est dubium, quin interpretandi causa in codice archetypo, qui parens fuit et Vaticani et deteriorum, ad marginem adscriptum fuerit. Verba haec sunt: Cogit Scandilium Apronio HS V̅ mercedis ac praemii dare. Vaticanus addit nomine post praemii, deteriores post mercedis. Deest igitur nomine in melioribus omnibus, extat in Vatic. et deterioribus, sed non eodem loco; quid igitur probabilius, quam in communi horum fonte in margine additum fuisse explicandi causa? Facillime hac ratione codicum discrepantiam explicari patet. Nec mirum est adiectum esse a nescio quo interpretationis studio illud nomine. Offendebat nempe hominem illud: HS quinque milia mercedis ac praemii. Sed nihil in his verbis esse offensionis alii loci docent, ut III 56: Ei cum pro iugeribus quinquaginta medimna IↃCC decumae imperarentur; 72: Apronio dent lucri tritici medimnum X̅X̅X̅I̅I̅I̅; 73: Iubes HS X̅X̅X̅ lucri dari; 116: ad singula medimna multi HS binos . . . accessionis cogebantur dare; vide praeterea § 75. 76. 84. 86. 90. 106 (contra 107: CCC milia modium tritici lucri nomine sustulisse). Genetivus ille lucri, accessionis, al. saepius in libris mutatus est. — Item, ut hoc loco genetivus, 185,23 ablativus, adiectivi vice fungens, quibusdam hominibus displicuit. Scripserat Cicero: quae tua donatio singulari impudentia nova Siculis omnibus, mihi vero etiam incredibilis videbatur. Donatio singulari impudentia idem est atque donatio impudentissima, quod cum fugeret librarios, alii addiderunt donata, plerique praedita (unde Klotzius in editionibus Teubnerianis effinxit praebita).

Aliis locis, quibus ferri possit verbum in Vatic. adiectum, idem statuendum videtur, quod supra non semel vidimus, aut mendose repetitum esse vocabulum non magno intervallo diiunctum, aut dittographia erratum esse. I 105,24 tam improbum et *tam* inhumanum. — II 102,13 reliqui libri habent haec: Pompeius Theodorus, homo . . . omnium existimatione ornatissimus, et Posides Macro Soluntinus, homo summa nobilitate, existimatione, virtute. Vaticanus et codex eximius Lg. 42 addunt ornatissimus, quod recte omnes editores, ut iteratione natum, improbant. (Klotzii edit. a. 1837 iam omittere liceat.) Repugnat huic additamento adiectivum summa. — 154,2 in reliquis est: Hoc quantum est? Ita magnum, ut. Vaticanus repetit est post magnum. — III 60,12: biduum Leontinis in foro custodiis Apronii retentum atque asservatum. Vaticanus repetit in ante custodiis. — Idem factum videtur III 140,19: venerat in iudicium atque *in* discrimen, reliqui scriptum habent: atque discrimen; item 155,21: consorti quidem in lucris atque *in* furtis, quamquam hoc loco alterum in non solum

Klotzio, sed etiam Halmio et Kaysero probatur. — Idem mihi cadere videtur in III 171,5; 183,27; 200,15. Primo loco haec leguntur: Non mihi iam furtum, sed monstrum ac prodigium videbatur civitatum frumentum improbare, suum probare, cum suum (*frumentum* addit Vat.) probasset, pretium ei frumento constituere. Sine dubio nemo, nisi qui praeiudicata occupatus erit opinione, Vaticani scripturam meliorem esse quam reliquorum censebit; Klotzium facile excipies, qui etiam a. 1852 et 1863 amplexus est Vatic. lectionem. — Altero loco, 183,27, dubitare sane licet, utra lectio praeferenda sit, Vaticani, in quo non ante tabellarius iteratum legitur, an reliquorum, in quibus deest. Probabilius tamen mihi est, Ciceronem, si repetisset negationem, idem facturum fuisse ante nomina praeco et viator. Verba haec sunt: Quam ob rem enim scriba deducat ac non potius mulio, qui advexit? (*non*) tabellarius, cuius adventu certiores facti petiverunt? praeco, qui adire iussit? viator aut Venerius, qui . . . — 200,15: quid hoc indignius? quid *hoc* iniquius? (vel, ut Brunnio visum est, indignius.)

Bis terve dittographia orta esse videntur Vaticani additamenta: III 152,12 cum hoc diceret *ei* Metellus. Litterae et verbi diceret neglegentia scribae librarii, ni fallor, iterata et corrupta sunt. Sententia quidem loci, ut non aspernatur, ita non requirit pronomen ei. — III 77,20: Pipa, cuius nomen istius nequitia tota Sicilia *pervagatum et* pervulgatum est. Kayserum, cum aliis locis vel levissimis causis motus librorum verba in suspicionem vocet et uncis includat, non possum satis mirari hoc loco illud Vaticani pervagatum et in textu constituisse. Ex iis, quae adhuc de palimpsesti Vaticani mendis disputavimus, multo veri similius est, pervagatum dittographia ex pervulgatum ortum et coniunctionem et, ut saepius, additam esse. — Tertio loco, III 155,18 (Iam hoc CAEDE CONCIDE nonne vobis verba domo patroni depromere videtur?) utrum verba dittographiae an lectionis varietati in margine notatae, a librario in textum receptae, debeantur ambigo Optimi enim libri, Lg. 42. et 29. habent vobis, deteriores verba, Vaticanus et Parr. A. B. vobis verba. Recte Halmius perspexit, si haec Vaticani scriptura probetur, interpunctione post CONCIDE opus esse; in posterum solam Lagg. 42. et 29. scripturam eum probaturum esse confido.

Reliquis locis dubiis unde ducenda sit additamenti origo non certo scio. Sunt autem hi: II 55,18: quod *in* causa prorsus, quod disputari posset, nihil habebat, (non videtur cognovisse librarius, causa nominativum esse); 59,7 adeunt Bidini, *qui* petunt hereditatem (an hic quoque neglegenter vocabuli antecedentis syllaba iterata est?); 66,3 iste *ad praesens* poenis compromissisque interpositis HS CCCC extorquenda curavit. His locis a cautis omnibus et prudentibus criticis damnatur Vaticani scriptura; probatur plerisque his: I 106,5 *praetoris* auctoritas (in Vat. est P. R.); 108,19 *tam* scelerata; III 25,3 ego tantundem *dabo*; in reliquis est ego tantundem i. e. tantum dem; coniunxit, ni fallor, librarius tantumdem, et cum deesse ei videretur verbum, adiecit dabo. — 27,30 magnus . . numerus *ac* magna multitudo fuit; 60,6 agendum *est*; 69,24 *in* qua re; 74,15

iniuriis et incommodis; 156,19 omnes *enim* ei tunc attribuebant; 184,15 *quid* mirabimur; mihi Vaticani fidem consideranti his quoque locis cum Jordano reliqui libri videntur sequendi. (Tres locos, quibus in Vaticano additae sunt complures litterae, quae iam non possunt legi, omitto.)

Apparet, Vaticani additamentis vebementissime esse diffidendum; sed ut possimus statuere, utrum iis libri IV. et V. locis, qui communes sunt Regio et Vaticano, ex horum codicum natura et habitu veri similius sit excidisse vocabulum in Regio an additum esse n Vaticano, necesse erit eos locos, quibus in Regio vocabula omissa sunt, paulo accuratius considerare. Sunt autem omissa in Regio solo singula verba quater: IV 14,7; 39,24; 47,24; 92,19; plura numquam. His igitur locis erravit Regii librarius, sed erravit leviter. Nam 14,7 (difficile est (*enim*) finem facere pretio nisi) verborum enim et finem similitudine (aut voce enim compendio scripta) in errorem inductus est; 39,24 (lacrimas interdum (*non*) tenere) non per notam (n̄) videtur fuisse scriptum in exemplo proposito, quod saepius factum est; 47,24 una excidit littera a (quae (*a*) suis acceperunt), id quod in omnibus codicibus saepius accidit; 92,19 denique (esse pollicitum sese id signum legatis (*esse*) redditurum) aut duae exciderunt litterae, — nam esse plerumque scribebatur ēē — aut alia huius verbi nota (≒). Artis criticae leges non permittunt, id quod Halmius et plerique fecerunt, ut infinitivus esse hoc loco expellatur; nam fuisse in illo exemplo, ex quo et Regius et G3 descripti sunt, ex G3 consensu cognoscitur; extat igitur illud esse et in melioribus et in deterioribus, i. e. in omnibus; ab omnium autem codicum scriptura nisi gravissimis de causis recedere non licet.

Ter Regius errat cum uno alterove meliorum: IV 1,10 omittit in ante textili cum λEG2; 134,28 qui post si cum G2; 135,16 vos ante hoc cum G2 Ld. (Eodem pertinet V 118,5 ictu: G2 Ld.)

Saepius in hoc genere erravit eius codicis librarius, ex quo R3 descripti sunt. Singula verba in illo Regii et reliquorum meliorum parente omissa sunt 14 locis, quorum plurimis causa erroris plana est atque perspicua; quae quidem posita est (ut plerumque in huius generis mendis) in verbi proximi (vel terminationis) similitudine. In hoc numero ducenda sunt haec: IV 30,31; 110,11; 126,18; 133,18; — 23,9; 103,25; 140,4; — 14,11; 66,2. — Eo loco, quem primum posui, excidit cum post tum (Verrem artificii sui cupidum cognoverant tum (*cum*) iste . . venerat). — 110,11 R3 habent: versantur ante oculos omnia: dies ille, cum ego Hennam venissem, praesto mihi sacerdotes . . fuerunt; patet deesse quo ante cum. In archetypo fuit; QVOQVOM; illud quom etiam nunc haud paucis locis in Regio invenitur (v. Jordan. ad IV 21,19). Non recte igitur Zumptius et Jordanus, deteriores (ut videtur) secuti, verborum ordine immutato scripserunt: dies ille, quo, ego Hennam cum venissem. — 126,18 eat excidit ante ad (quod saepius scribitur at). — 133,18 se post emisse deest. (Cf. V 80,12 in ante insula.)

Tres loci 23,9; 104,25; 140,4 inter se sunt simillimi. 23,9 fuit in libro illo, ex quo R3 profecti sunt: navem denique maximam, quam onustam furtis in Ita-

liam mitteret, apud istos faciundamque curavit; 103,25: regem Masinissam inprudentem accepisse: re cognita reportandosque curasse; 140,4: ut quisque iis rebus tuendisque praefuerat. Deteriores his locis habent haec: 23,9 navem d. m., quam on. f. in I. m., ap. ist. faciendam aedificandamque curavit; 103,25: regem M. impr. acc.: re cogn. reponendos restituendosque curasse; 140,4: ut quisque eis rebus tuendis conservandisque praefuerat. Primo et tertio loco dubium non potest esse, quin deteriorum scriptura vera sit; altero maxime est probabile, scribendum esse reportandos reponendosque curasse; saepissime enim in deterioribus synonyma inter se permutata sunt. Quae Halmius in editione Jordani ad hunc locum dicit, ea de tribus his locis recte possunt dici. „Verisimilius est, inquit, librarii oculos ab altero gerundivo ad alterum aberrasse, quam que negligentia aut interpolatione additum esse.“ (Conferre licet V 133,20 hoc Hennenses om. post hoc Herbitenses.) — His addendine sint duo loci (14,11 et 66,2) in medio relinquo. 14,11 deest cum post una. Excidit fortasse cū, quia sequitur caeteris; 66,2 omissum est ex inter verba comperisse et eius (ait se comperisse, (*ex*) eius regno piratas ad Siciliam esse venturos).

Omnino singulas binasve litteras in codice Regio vel eius fonte excidisse supra compluribus exemplis demonstravimus. Huc referenda sunt haec: IV 10,1; 13,27; 28,5; 39,23; 68,22. — 10,1 deest id: si (*id*), quanti aestimabat, tanti vendidit; 13,27 et 28,5 omissum est si: numquam (*si*) denariis CCCC Cupidinem illum putasset; (28,5) metuisti, ne aes alienum tibi cresceret, (*si*) HS VI milibus IↃ tibi constarent ea; 39,23 et 68,22 praepositio *a* excidit; (39,23:) ipsa (*a*) Diodoro erepta sibi vasa optime facta dicebat; (68,22:) cum audirent (*a*) praetore populi Romani . . violatum regem. (Cf. V 135,12 te om. post esse.)

Duobus locis ad quam causam referendus sit error librarii nescio; videtur soli neglegentiae tribuendus esse. Desideratur enim 12,22 emere (malo *emere* quam rogare), et 132,8 religione (omnes religione moventur).

Quinquies in communi illo meliorum fonte omissus erat maior verborum numerus: IV 27,31; 35,31; 70,12; — 142,24; 143,1. Atque tribus illis locis, quos primos posui, nemo potest dubitare, quae causa sit, cur in errorem inciderit librarius. 27,31 in deterioribus haec sunt: respondit, istum ad se misisse, ut sibi mitteret Agrigentum *peripetasmata. Quaesivi, an misisset: respondit id quod necesse erat scilicet, dicto audientem fuisse praetori: misisse. Rogavi, pervenissentne Agrigentum:* dixit pervenisse. Quaesivi . . . . Vocabulo Agrigentum exiguo intervallo bis posito, (fortasse praeterea verbo quaesivi subsequente) deceptus est librarius, ut omnia verba media interposita inter Agrigentum et dixit omitteret inde a peripetasmata usque ad alterum illud Agrigentum. — Similis causa est loci sequentis 35,31. Deteriores haec habent: ego erro, qui . . . quaeram . . . quomodo et quanti emeris: *quod verbo transigere possum. Ede mihi scriptum, quid argenti in provincia Sicilia pararis, unde quidque aut quanti emeris.* Quid fit? Meliores omnes omittunt verba inde a: quod verbo usque ad quanti

emeris. Patet ortum esse errorem verbis quanti emeris. — 70,12 infinitivo esse debetur eius modi mendum. Scripsit Cicero: Audisti Q. Minucium dicere, domi suae deversatum esse *Antiochum regem Syracusis: se illud scire ad istum esse* delatum. Exciderunt in R3 verba: Antiochum r. S.: se ill. sc. ad ist. esse, nec in his tantum libris, sed etiam in 3 Paris. Non mirum, nam eius modi errores in omnibus fere inveniuntur libris manu scriptis. Quid? quod etiam in libris typis descriptis similia deprehenduntur? Halmio quidem vel potius typographo accidit, ut in Taciti Agricola (cap. 40, vers. 14) omitteret in editionibus a. 1856 et 1874 verba in urbem, noctu. Libri enim manu scripti habent: vitato amicorum officio noctu *in urbem, noctu* in Palatium . . . venit; quo errore in suam editionem priorem (altera mihi non praesto est) recepto Draegerus demonstravit, non satis diligenter se editoris officio esse functum. Idem error (a me iam alio loco notatus) accidit typographo in Eberhardi Verrinarum editione (Cic. or. sel. XVIII edd. Eberhard et Hirschfelder. Lips. 1874.) Omissa enim sunt Verrin. IV. § 7 (versu 34. pag. 53) verba tollere aut; antecedunt poscere aut.

Sed eiusmodi vitia plura enumerare non est huius loci; redeamus eo, unde digressa est oratio. Reliqui sunt duo loci, quibus qua re deceptus librarius erraverit non plane potest dici. 142,24 videtur in eo libro, ex quo meliorum parens originem duxit, temporis iniuria totus ille locus, qui deest in melioribus, corruptus vel extinctus fuisse; nam in illo communi meliorum fonte deesse non nulla indicatum fuisse ex ea re licet colligere, quod in Regio spatium trium versuum vacuum relictum est. Verborum certe similitudini hoc loco error non est tribuendus. Verba sunt haec: de Sex. Peducaeo, qui . . . optime meritus esset, *sese antea, cum audissent ei negotium facessitum cumque eum* publice pro . . . meritis laudare cuperent. Desunt verba inter esset et publice. Idem Sex. Peducaeus paulo post a librario iniuria adfectus est; nam § 143 v. 1 haec erant in libris: quod verba facta sunt de Sex. *Peducaeo. Dicit, qui primi suaserint. Decernitur.* Refertur deinde de Verre. Omissa sunt verba Peducaeo. Dic., qui pr. suas. Decernitur.

Dubium est duobus locis, utrum exciderit verbum in melioribus an additum sit in deterioribus: 12,16 *a* ante religione; 60,21 ad post sed. De loco maxime suspecto, § 22, quem plerique ab interpolatore profectum arbitrantur, nihil hic dico.

His pertractatis iam licet ad eos quarti et quinti libri locos, quorum causa tota haec quaestio erat instituenda, transire licet. Habet autem Vaticanus solus additamenta his locis: IV 6,13; 17,1; V 81,14; 83,11; 84,28; 95,2; 106,21; 118,23. 3. 4. 7; 119,9; 121,6; 126,1.2; 127,20; 133,12.

De duobus horum locorum hodie idem omnes sentiunt: V 119,9 ineptum illud ubi (manu 2. additum) a nullo iam defenditur, ne a Klotzio quidem, qui a. 1837 receperat; item omnes 121,6 putaret errore repetitum esse (cuius generis menda supra compluria enumeravimus) consentiunt. (Ecquis fuit, . . . quin ita calamitatem illam putaret illorum, ut fortunam *putaret* tamen non alienam,

periculum autem commune arbitraretur? His addendum est illud autem, quod legitur 83,11, ortum illud sine dubio dittographia ex sequenti vocabulo aut: quid primum *autem* aut accusem aut querar? quamquam et Mauricio Seyfferto (ad Lael. p. 461) et Klotzio (in ed. 1837) probabatur. (In Teubneriana editione priore Klotzius illud autem cancellis circumscripsit, in altera mutavit in iudices.) — Improbanda praeterea sunt cod. Vat. additamenta his locis: 106,21 ad se; 118,23 ipso; 118,4 vestitumque; 127,20 enim. — 106,21 Halmius verba ad se ex Vat. editioni Jordanianae addidit, collato simillimo loco § 102. Ibi quoque legitur: navarchos ad se vocari iubet. Sed haec ipsa causa fuit, cur saepius in Vatic. (vel eius fonte) adderentur verba, quod simili loco librarius meminerat eadem illa scripta fuisse. Et in Regio accuratissime scripto (eiusque fonte praestantissimo) et in deterioribus, quos ex eodem archetypo, cui Vaticanus debet originem, profectos esse veri simile est, nulla probabili causa eadem verba omissa esse prorsus abhorret a veri similitudine. Idem valet de reliquis locis. quos una cum hoc modo memoravi. Uno loco 118,4 exigua inde oriri potest dubitatio, quod idem additamentum, quod est in Vaticano, a Quintiliano adfertur. Sed qui paulo accuratius Quintiliani (aliorumque multorum rhetorum et grammaticorum) rationem consideraverit, saepissime eos memoriter scriptorum verba adferre cognoverit, non raro ab iis eadem verba alio loco aliter citari, saepenumero ab eorum testimonio discedendum esse editori. Sed haec res universa singularem requirit quaestionem. Hic satis habeo commemorare, eo ipso loco, de quo quaerimus, a Quintiliano omissum esse dativum tibi, qui est in omnibus codicibus. (Vaticanus, ut solet, mutavit verborum ordinem.) Eadem causa et Quintilianus et Vaticanus (vel potius grammaticus nescio qui vel homo aliqui doctus) in errorem videntur esse inducti. Meminerant nempe paulo ante (extrema § 117) se legisse cibum vestitumque ferre; sed haud scio an Cicero hoc loco (§ 118) consulto scripserit: ut cibum tibi intro ferre liceat, omissa vestitus commemoratione, cum vellet indicare, unum quodque beneficium pretio fuisse redimendum ab homine illo Verris amicitia dignissimo, permittere legentium animo et cogitationi, ut existimarent certum pretium etiam iis constitutum fuisse, qui vestitum vellent suis liberis intro ferre. Recte igitur Zumptius codicum reliquorum auctoritatem secutus omisisse mihi videtur illud vestitumque; ceteri omnes editores aut Vaticano aut Quintiliano paruerunt. — 118,23 Vat. unus addit ipso post in limine. Omittendum esse pronomen cum ex iis, quae supra attuli, argumentis apparet, tum ex Iulii Severiani (cap. 20, pag. 343 ed. Capperonnerii p. 366 v. 27 ed. Halmianae) testimonio. — 127,20 Vaticanus solus addit enim (ne *enim* publice a pop. Rom. spoliarentur), quod saepius factum esse supra docuimus; in Regio omissum esse semel a librario proximi vocabuli similitudine decepto (ENIM FINEM) item diximus. Deterioribus in eius modi rebus non ita multum tribuendum est.

Ex iis locis, qui supersunt, duo eius modi sunt, ut veri similiorem existimem Vaticani scripturam. Atque primum quidem V 84,28 habet Vatic. in insula, reliqui insula. Elucet ex iis, quae de Vaticano et Regio disputavimus, aeque facile fieri potuisse, ut et a Vaticano bis scriberetur in, et in Regii fonte ceterisque excideret illud in.

4

Qua re, ut diiudicare possimus, utra lectio vera sit, accuratius Ciceronis verba perpendenda sunt. Itaque, inquit Cicero, ... M. Marcellus ... habitare in ea parte urbis, quae (in) insula est, Syracusanorum neminem voluit. Ego sic existimo, Ciceroni aut scribendum fuisse habitare in Insula, quae est urbis pars, aut habitare in ea parte urbis, quae Insula *appellatur*, aut hab. in ea p. urb., quae in insula est. Quod quidem re vera dicendi usu comprobatur; cf. IV 117: pars oppidi, quae appellatur Insula; V 95: Insulam, quae est urbis magna pars; illud ea pars urbis, quae insula est nec memini me legisse nec simile quid inveniri arbitror; nam illud, quod extat IV 118, tanta est urbs, ut ex quattuor urbibus maximis constare dicatur; quarum una *est ea, quam dixi, Insula* neminem huc relaturum esse confido. — Alter locus, quo probabilior mihi videtur Vaticani scriptura, est V 118,3; ibi verbis carnifex praetoris, mors terrorque sociorum et civium additur *Romanorum*. Primum enim non minus facile potuit una littera R. (nam ita *Romanus* fere semper scribitur) omitti quam addi; praeterea hoc loco consentit cum Vaticano non solum Quintilianus, sed etiam Iulius Severianus cap. 23 extr. (pag. 344 ed. Capperon., 369,13 ed. Halm.) Accedit, quod semper, ni fallor, Cicero dicit cives Romani, cum aut de civium supplicio verba facit aut cives Romanos opponit Siculis; cf. V § 139—173; II 15 sqq. 31 sqq., ubi sociis (vel Siculis) opponuntur aut cives Romani aut „cives nostri"; item III 58 sqq. al.

Reliquis locis omnibus, quibus habet Vaticanus quae in ceteris desunt, eius scripturam neglegendam esse censeo. Illud quidem concedo, posse uno alterove loco in Vaticano solo verum esse servatum, (ut IV 6,13 sociorum *atque amicorum*,) sed cautum religiosumque criticum Vaticani menda, bonorum auctoritatem fidemque, meliorum deteriorumque consensum spectantem, nisi certis firmisque argumentis demonstraverit loci sententia efflagitari id, quod in Vaticano solo extat, sequi non debere Vaticanum contendo.

Pauca de singulis locis addo. IV 6,13 potuit sane post sociorum propter terminationis similitudinem excidere atque amicorum, quamquam id et in deteriorum et in meliorum fonte accidisse minus mihi videtur probabile; non minus autem facile potuit in Vaticano (vel exemplo Vaticani librario proposito), cum saepissime interpolator iste nescio quis legisset socii atque amici, cumque amicorum antecederet, idem illud addi. — IV 17,1 habent libri: quid te a Centuripina civitate, a Catinensi, ab Halaesina, Tyndaritana, Hennensi, Agyrinensi ceterisque Siciliae civitatibus e. q. s. *A* praepositio post Halaesina non minus facile potuit omitti quam addi; membrorum autem concinnitas adducit, ut existimem a Vaticano additam: tribus enim ex iis, quae nominatim adferuntur, civitatibus additur praepositio, tribus deest. — V 81,14 post verba Hic dies aestivos additur in Vaticano: iam continuos, in deterioribus: sexaginta. Hoc numerale nemo, opinor, recipiet sola deteriorum auctoritate nixus; illud Vaticani deberi mihi videtur eidem correctori, a quo multa iam in Vaticani fonte profecta esse conieci. Legerat is totum Verrinarum corpus, atque ex eo, quod est § 94 et 137 dies continuos adiecit hoc quoque loco

continuos. Illud iam nescio an ortum esse possit ex numero LX non satis perspicue in margine adscripto. Negare non licet *potuisse* hoc quoque loco propter terminationis similitudinem (AESTIVOS—CONTINVOS) a librariis errari, ut omitterent verba iam continuos, *veri simile* non est. Ex editoribus solus Halmius hodie additamentum probat. — 95,2 in reliquis scripta sunt haec: Confirmant ipsi se, cum hic etiam tum semisomnus stuperet; Vatic. post semisomnus addit stupri plenus. Dixerit quis, facilius potuisse vocum stupri et stuperet similitudine adduci librarios, ut omitterent verba stupri plenus, quam ut adderent. Qui quidem non recte mihi videtur iudicare. In Regio certe nullum extat exemplum, quo cognoscatur, *primarum* vocabulorum *litterarum* similitudine adductum omisisse librarium verba. In Vaticano saepius, vocabulo aliquo parum accurate lecto (ut est Vaticani librarius satis neglegenter in officio versatus), scriptum esse pag. 17. 18. 21. demonstravi, quod scribenti primo adspectu videbatur extare in codice proposito, post verum additum esse errore non sublato. Poterat autem librarius in illud ipsum stupri plenus incidere, quod paulo ante (§ 94) scripserat: vini, *somni, stupri plenus.* Placuit hoc stupri plenus olim Klotzio, nunc unus retinet Halmius, sed haesitans. — 118,7 addit Vat. ei ante auferatur. Paucarum litterarum voculae in Regio saepius omissae sunt, in Vaticano non minus saepe additae. Addendi causa potuit esse, quod legentis animum offendebat, non indicari, cui spiritus auferretur. — 126,1 Vaticanus scriptum habet: non est usitatum, non est senatorium; reliqui omittunt alterum est. Hoc loco mihi quidem non est dubium, quin aspernandum sit Vaticani additamentum; nam frequens in Vaticano est ista eiusdem vocis exiguo intervallo repetitio. Editores praeter Zumptium et Jordanum illud est amplexi sunt omnes. — 126,2 additur in Vaticano R. i. e. Romani post populi; antecedit: Ad populum Romanum confugient? Magnum profecto Vaticani librario peccandi irritamentum! Non placet hoc additamentum Zumptio, Jordano, Kaysero, Eberhardo. — 133,12 similis est ratio atque duobus superioribus locis; nam cum scripsisset in crimen et facile poterat impelli, ut in ante invidiam adderet. Potuit sane in reliquis illud in ante invidiam omitti.

His octo locis, de quibus modo disserui, argumentis solis, quae attuli, non ita multum tribuerem. Plurimum autem tribuendum censeo illis, quae deprompta sunt et ex palimpsesti Vaticani vitiis et ex Regii praestantia et ex omnium librorum consensu.

Reliqui iam sunt ii loci, quibus singulae litterae vel syllabae in Vaticano sunt additae. Una littera adiecta est semel: V 108,24, ubi scriptum est in Vat. *ab*, in reliquis *a*. Ex editoribus secuti sunt Vaticanum Klotz, K., R., E.; Halmium miror in hac re cum Zumptio et Jordano consentire, i. e. reliquorum codicum scripturam recepisse. Ex dicendi usu nihil peti potest adiumenti ad rem diiudicandam; nam 33 locis (si fides habenda est Merguetii lex. Ciceron.) Cicero in quinque secundae actionis libris usus est forma *a* ante litteram *s*, 30 locis forma *ab*. Sed illud non est neglegendum, in Vaticano multo saepius additas esse litteras, quam in Regio eiusque fonte

omissas. Perperam additae sunt in Vat. singulae litterae 136 locis in tribus prioribus libris, 20 locis in quarto et quinto, quibus addi possunt aliquot, quibus dubium est, utrum iure an iniuria addita sit littera. In Regio eiusque fonte omissae sunt singulae litterae 56 (+17) locis, ad quos accedunt 7 loci dubii. Littera *b* addita est in Vaticano quater I126,5 abiebat pro aiebat; II116,4 scribtum pro sciri tum (similiter erratum est in Lg. 42); 168,20 ab singulis pro a singulis; III85,9 ab te pro a te (non scribendum esse cum editoribus abs te, infra probare conabor). — Omissa est littera *b* in Regio semel: IV 20,13 (debeant pro debebant).

Syllabae singulae in Vaticano additae sunt in quarto libro (§ 6—9 et § 16—19) et in iis quinti libri partibus, quae extant in Vatic., ter: V 125,16; 126,29.12. Duobus certe ex his locis verum esse in reliquis probabilius est et propter consensum meliorum deteriorumque et quod multo saepius in Vaticano additae sunt syllabae, quam in Regio omissae. Nam falso addit Vaticanus syllabas 42 (+7), omittit Regius 24 (vel 26) (+5) locis. — Accuratius nunc consideremus tres illos quinti libri locos; quorum primo (125,16) Vat. habet: Vestros quondam nautas contra Karthaginem Scipio *ad*duxit; ad nunc; reliqui: vestros q. n. c. K. S. duxit; at nunc. Secutus est Vaticanum solus Klotzius in ed. a. 1837. Reliqui idcirco Vat. scripturam contemnere videntur, quod offendebat illud, naves adducere contra. Praeterea quod sequitur ducit (at nunc navem contra praedones paene inanem Cleomenes ducit), necessario requiritur simplex duxit. Adde quod praepositio ad in verbis compositis quater a Vatic. addita est: II 65,29; III 60,13; 77,25; 192,19. — II 65,29 mihi praesto *ad*essent; III 60,13 *ad*servatum et 192,19 *ad*metiantur per se non est vituperandum, sed cum reliqui omnes dissentiant, veri similius est a Vatic. iniuria additum esse (cf. Caes. b. g. I 16,5; 23,1; VII 71,7); 77,25 usque *ad*eo, quoad. In Regio illud ad (ac) semel omissum est: IV 122,32 (cepisset pro accepisset). — 126,29: Quo confugient socii? . . . Ad senatum*ne* venient? reliqui omittunt particulam interrogativam. Hoc loco, cum in deterioribus sit devenient pro venient, veram fortasse Vatic. servavit lectionem. Potuit enim NE ante VE facile et in melioribus excidere et in deterioribus mutari in DE. — Paulo post (126,12) Vaticanus habet nemo eistorum dissimulatio nemo elaborat, ut obscura sua cupiditas esse videatur; reliqui integram servarunt lectionem: nemo istorum dissimulat, nemo laborat, ut e. q. s. Bis igitur post nemo in Vat. addita est *e* littera. Spernitur ab editoribus omnibus illud elaborat, iure, si reputamus, quid tribuendum sit Vaticano, iniuria, si quantum plerique eorum huic libro tribuant spectamus. Nam dicendi usus minime impedit, cum elaborare eadem vi atque hoc loco saepius apud Ciceronem reperiatur, cf. p. Marc. § 27: in hoc elaborandum est, ut rem publicam constituas; ad Q. fr. I 1,42: contende, quaeso, atque elabora, . . . ut dignus fuisse . . . videare; ib. § 43: ut id retineamus, praeter ceteros elaborabis; ad Att. XVI 16,12; de or. 2,295: non tam ut prosim causis elaborare soleo, quam ut . . .; Brut. 253; or. 38; de fin. 1, 10. — Littera *e* in Vatic. septies addita est: I 110,10 *e*venire; II 114,25

extant (post Romae); III 22,8 Aperonius; 75,18 atque horum pro at quorum; 130,7 prorsus ut eo loco, de quo agitur: *e*laborare ut; V 123,23 audi*e*tis; 126,12 *e*istorum. In Regio littera *e* semel est omissa, V 80,11 carbas(*e*)is; praeterea bis *a* pro *ae* positum est.

Restat, ut disseramus de iis locis, qui satis multi sunt, quibus aliae sunt in Vaticano aut litterae aut syllabae aut voces atque in ceteris libris.

In singulis litteris discrepat ab iis Vaticanus his sex septemve locis: (IV 7,17;) V 83,9; 125,18.22; 132,9; 136,19.21. — Primo loco, IV 7,17, dubium esse non potest, quin scribendum sit Bon*am* Fortun*am*, non Bon*ae* Fortun*ae*, cum reliqui omnes habeant illud, in Vaticano non possit internosci, utrum sit scriptum Bon*am* Fortun*am* an Bon*ae* Fortun*ae*. — In reliquis locis iudicandis maxime et sententia erit spectanda et anquirendum, ad quas litteras permutandas Vaticanus, ad quas Regius magis inclinet. — V 83,9 scribitur a plerisque: Accipit naves sociorum atque amicorum Cleomenes Syracusanus. Halmius unum Vatic. secutus edidit: Accepit e. q. s. Saepius sane in Regio littera *i* scripta est pro *e*, quam in Vaticano *e* pro *i*; nam in Regio erratum est his locis: IV 1,5; 28,6; 93,4; 124,1; praeterea his tribus locis, quibus error correctus est: 60,22.24; 111,23; in Regio et Erfurtensi idem mendum est 123,6; in R3 et λ 86,33; in R3 et E 122,28. (V 80,6; 105,10; 115,1; 116,10). — in Vaticano I 105,21; II 138,11; III 78,11; 153,20; (V 83,12.17; 97,26; 127,21; 132,6;) quibus locis haud scio an addendi sint hi: II 155,11; 188,12; III 157,22; 195,33. Sed quamquam paulo saepius in hoc genere erravit R., tamen et deteriorum cum melioribus consensus et universa loci conformatio (semper enim in hac de Cleomene narratione praesenti tempore usus est Cicero usque ad mediam paragraphum 86) mihi quidem persuadet, scribendum esse accipit. — 125,28 Vaticanus habet navi, reliqui nave. Secuti sunt Vaticanum omnes praeter Zumptium et Jordanum. Recte fortasse. Nam et Vaticanus minime inclinat ad eam litterarum permutationem, ut *i* scribat pro *e*, et Regius saepissime *e* habet litterae *i* loco. Habet Vatic. *i* pro *e* III 172,19 (possint pro posset); dubitare licet de II 138,6; (188,12; III 156,12; 225,7.) Regius *e* pro *i* habet sedecim duodevigintive locis (IV 14,5; 42,23.29; 44,13; 68,24; 79,19; 81,28; 113,12; 124,25; 129,13; 139,25; V 1,2; IV 14,4; 111,24; 87,2;) 16,28 (cum Ld.); 32,21 et 52,9 (cum G3 consentiens); ad quos accedunt sex, quos supra (pag. 4) commemoravi. Sed quoniam non raro ad arbitrium mutavit cod. Vat. librarius, ego nisi certissimis argumentis coactus hunc solum codicem sequi nolim, praesertim cum hoc ipso loco alia quoque in re temere mutaverit (spoliata navi a praedonibus pro spoliati, nave a praedonibus abducta). Cf. p. 14. Neue Formenlehre I p. 216 Ciceronem scripsisse existimat eo loco, de quo quaerimus, nave. — 125,22 Vaticani scripturam unus recepit Klotzius (1863). Deteriores habent: ex sinu patris, Vaticanus ex sinu patrio, meliores ex sinu patriae (in G2. Ld. leviter erratum est). Patrio et patris vel ideo videntur improbanda, quod Heraclii, Segestani illius navarchi (v. § 111), ad quem pertinent verba ut ex sinu patriae nobilissimus adulescens istius carnifici Sextio dederetur, pater sine dubio iam mortuus erat illo tempore. Nam § 120 haec

leguntur: Onasum Segestanum, hominem nobilem, dicere audistis se ob sepulturam Heraclii navarchi pecuniam Timarchidi numerasse, ne hoc posses dicere: *patres enim veniunt amissis filiis irati*: vir primarius, homo nobilissimus dicit, *neque de filio dicit*. Adde quod *ae* in codice Regio bis tantum aliarum litterarum locum occupavit: IV 61,26 Antiochiaeillos, ortum ex ANTIOCHIEILIOS, E autem et F saepissime in libris mscr. confunduntur (legendum est: Antiochi filios) et 97,23: haec pro hac, cum in Vaticano saepissime littera *o* in aliarum locum irrepserit, ut *o* pro *um* II 62,31; III 153,25; *o* pro *i* (II 62,2;) III 60,2; 192,22; (199,2;) 206,21; *o* pro *u* III 56,24; 76,13; *o* pro *e* II 138,8; *o* pro *a* I 120,10; III 60,10; *o* pro *is* I 114,17; quibus alia etiam addi possunt exempla, ut III 152,14 ignotorum pro ingratorum. — Error ille, quo patris vel patrio scriptum erat pro patriae, parens fuit alterius multo foedioris vitii, quod, quia non in Vaticano solo extat, alio loco tractandum est, dico interpolationem illam: et e(x) complexu matris ereptus innocens (filius). — 132,9 miror ab omnibus editoribus repudiatum esse quod habet Vaticanus: possimus pro vulgata possumus. Per se enim ferri potest coniunctivus ille. Verba sunt: in illa autem calamitate non Martem fuisse communem, sed Venerem possumus dicere. Possimus esset coniunctivus potentialis. Retinendus sine dubio est indicativus, sed qui tantam fidem haberent Vaticano, non debebant hoc loco omnes ab eo desciscere. — 136,19 solus Halmius nunc tuetur Vaticani formam quocum, cum reliqui et codices et editores scribant quicum. (Non ut quisque maxime est quicum tibi aliquid sit, ita te in huiuscemodi crimine maxime eius pudet?) Ne hoc quidem loco dubium potest esse, quin discedendum sit a Vaticano. Nam et vulgata lectio magis respondet Ciceronis dicendi consuetudini, cum pronomen relativum non ad certum aliquem hominem pertineat hoc loco, sed ad pronomen infinitum quisque (cf. Neue, Formenl. II², p. 231; Gossrau Lat. Sprachlehre § 134, 1 NB, alios), et quicum a librariis pro usitata forma quocum scriptum esse prorsus est incredibile, et in Vaticano codice consulto corrigendi studio mutata sunt non pauca, in Regio nihil. — Denique 136,21 Vaticanus habet posses, vel potius POSSETS, reliqui posset; ex editoribus Vaticanum secuti sunt Halmius, Eberh., Kays., Richt., reliqui reliquos codices. Ex sententia ad hanc quaestionem diiudicandam non multum peti potest adiumenti. Nam eodem iure (et haud scio an meliore), quo Halmius ex huius capitis verbis extremis (haec si tibi tuus parens diceret, *posses* ab eo veniam petere? *posses* ut tibi ignosceret postulare?) colligit, initio quoque huius capitis legendum esse posses, eodem, inquam, et meliore iure Madvigius (Ep. crit. ad Orell. p. 127): „In iis, inquit, quae sequuntur verbis Paternus amicus est subiicienda erat sententia, quae significaret, ne ipsum quidem patrem Verrem absolvere posse. Quaeritur igitur, quid pater facere possit, non quid Verres; nec de Verre quaereretur, quid faceret, sed quid ad haec diceret, quid responderet. Legendum est igitur, ut codices habent, reiecta Hotomani coniectura, melius distincta oratione: Ipse pater si

indicaret, per deos immortales, quid facere posset? Quum tibi haec diceret: Tu in etc.“ In Vaticano bis litteram *s* pro *t* positam esse, in Regio *t* semel pro *s*, vix dignum est quod commemoretur; ad solam igitur codicum fidem confugiendum est, quae quam exigua sit in Vaticano nemo iam ignorat.

Alterum discrepantiae genus pertinet ad syllabas inter se confusas. Discrepat autem in hoc genere Vatic. a reliquis his locis: V 72,19; 97,19; 119,9; 127,21; 130,2. Ut de his locis possimus iudicium facere, primum quaerendum est, in utro codice frequentius sit hoc erroris genus. Invenitur autem in Vaticano 35 locis aut falsa aut admodum dubia syllabarum permutatio, in Regio 9 locis, in eius fonte 12 locis, omnino igitur in Regio vicies semel in hoc genere erratum est. Praeterea illud est tenendum, saepe Vaticani librarium aut temere mutasse aut neglegenter legisse aut memoria esse lapsum. In Regio una non numquam erroris causa apparet, quae posita est in vocabulo aut paulo ante aut paulo post scripto, cuius aut primae litterae aut terminatio alterius locum occupaverunt. Itaque nisi singulare aliquod in locis illis, quos supra contuli, accedet momentum, solum Vaticanum sequi non licebit. Atque primo quidem loco (72,19) nullam video causam, cur involutis cum Vaticano scribendum sit. Nam dicendi usus utrumque permittit, apud Ciceronem ipsum et caput obvolvere, capite obvoluto et caput involvere, capite involuto invenitur. Obvolvere caput (os) scriptum extat de inv. II § 149 et orat. § 74; Phil. II 77 codex primarius (Vaticanus) habet obvoluto, reliqui involuto; involvere caput legitur Verr. 5,156. 157, in Pis. 13. Sed quo minus Vaticanum hoc loco sequar, terrent cum alia, tum illud, quod hic ipse locus, de quo disputamus, mendis scatet, ut aut in exemplo proposito prope extinctum fuisse totum hunc locum statuendum videatur, aut librarium somni fuisse plenum. Habet enim Vaticanus, ut taceam de iis quae antecedunt, hoc ipsum enuntiatum, in quo illud capite obvoluto extat, sic scriptum: Itaque cum aliis c. r. (ne cognoscerentur?), involutis e carcere capitibus (*capitibus sup. lin. a m. 1*) ad palum atque ad necem repiebantur; alii, cum a multis civibus ameonis cognoscerentur, ab omnibus defenderetur, securi feriebantur.“ Utrum verba ne cognoscerentur in Vaticano desint necne, non satis constat: Zumptius, Maium secutus, ea Vaticano attribuit, Jordanus omittit, sed, ut videtur, errore. Scribendum est illud enuntiatum hoc modo: „Itaque alii cives Romani, ne cognoscerentur, capitibus obvolutis e carcere ad palum atque ad necem rapiebantur; alii, cum a multis civibus Romanis cognoscerentur, ab omnibus defenderentur, securi feriebantur.“ Ac ne illud quidem praetermittendum mihi videtur, saepius Vaticanum in verbis compositis ab reliquis aut omnibus aut melioribus discedere. Habet solus ad- pro de- III 78,7; con- pro pro- III 141,25; post- pro com- III 61,25; cum deterioribus videtur consentire III 175,8 (ad- pro in-), cum uno ex melioribus III 61,26 (re- pro de-) et 141,4 (de- pro ex-). His omnibus locis aut falsa est Vatic. scriptura, aut maxime suspecta. Regius uno loco solus hoc mendum admisit: IV 105,19 (prae- pro per-), uno cum reliquis bonis IV 122,26 (con- pro re-), quibus addas licet 94,16 (cum- pro con-), qui error manifestus ab ipso statim librario videtur esse correctus. Praepositiones praeterea ter in Vaticano aliae sunt atque in reliquis omnibus: II 189,19;

III 44,20; 141,4), in Regio numquam. Scribendum igitur V 72,19 obvolutis. — V 97,19 Vaticanus habet: piraticus myoparo . . . usque ad forum Syracusan*um* et ad omnes crepidines urbis accessit; R3 et λ habent Syracusan*orum* pro Syracusan*um*, quod vocabulum deteriores omittunt. Vaticanus alio loco non habet terminationem -um pro -orum, nec Regius -orum pro -um, paulo saepius tamen nominum subst. et adiect. terminationes permutantur in Vaticano (27 locis) quam in Regio et eius fonte (in Regio solo octies, in meliorum parente decies). Quod nisi demonstratum erit, Ciceronem semper adiectivum addere ad forum, numquam genetivum pluralis substantivi — quod numquam, opinor, demonstrabitur — retinendum hoc loco censeo Syracusanorum. — 127,21 Halmius cum Richtero manet in Vaticani officio, mihi melius videtur cum Reg. stare, et in officiis perseverare. Vaticanus saepius singulari utitur pro plurali numero, ut I 114,17, qui locus huic est simillimus; nam eadem ibi cernitur terminationum permutatio: mortu*o* pro mortu*is*; III 53,23 quaestum; 171,27 rationem; 175,9 pecuniam; 208,3 audaciam, qui loci omnes meditatam redolere videntur mutationem emendandi studio ortam. In Regio pluralem singularis loco semel video scriptum: IV 148,2 (illos pro illum), neque tamen corrigendi studio hoc loco illa mutatio tribuenda est, sed insequentium vocabulorum terminationibus (recentes nuntios) in errorem inductus est librarius. Meminerat, ni fallor, Vaticani librarius, saepius coniuncta se legisse officio ac fide, quod in certis sane loquendi formulis necessarium est, ut manere in officio ac fide, al., sed hoc loco, quo socii populi Rom. officiis ac fide providisse dicuntur, ne publice a pop. Rom. spoliarentur, pluralis rectissime se habet. — 119,9 Vaticani liberorum (reliqui habent liberum) aperte corrigendi studio debetur, neque quisquam editorum hodie illud Vat. tuetur. Etiam Iulius Severianus rhetor, homo in verbis adferendis satis diligens, vulgatam liberum confirmat (cf. ed. Halm. p. 366 extr.). — 130,2 contra omnes Vaticanum sequuntur, vel potius eam lectionem receperunt, quae latet in Vaticani scriptura exangula: exsanguia (corpora mortuorum); reliqui libri mscr. habent: exsanguium vel exanguium (corpora mortuorum). Possunt et corpora (Quint. VI prooem. § 12; Ov. ex Pont. 3,2,31 (metam. 2,647; 4,244; 5,136); Verg. Aen. 2,542) et mortui dici exsangues (cf. Claud. de cons. Hon. IV. v. 471, ubi acervi mortuorum exsangues commemorantur; Ovid. met. 10,41 exs. animae; 4,443 et Verg. Aen. 6,401 exs. umbrae). Magis sane hoc Ciceronis loco arridet exsanguia corpora mortuorum, sed cum veri similius sit, ab uno librario, quod saepissime factum est in libris manu scriptis, exsanguium, quia sequitur corpor*a*, mutatum esse in exsangui*a*, quam ab omnibus et melioribus et deterioribus exsanguia, quod neminem offendisset, in exsanguium mutatum esse, cuius mutationis nulla perspicitur causa, cumque Vaticanus saepissime, multo saepius quam Regius, sive memoriae lapsu sive de industria terminationes ad similitudinem insequentis vocabuli convertat, ego hoc quoque loco in reliquorum scriptura acquiescendum esse arbitror.

Reliquum est, ut de iis IV. et V. libri locis disputem, quibus alia in Vat. sunt

vocabula atque in reliquis. Huc pertinent 10—11 loci: V 80,7; 81,16; 105,14; 106,25; (117,21); 118,23; 119,8; 121,4; 125,18; 133,14; 136,2.

V 80,7 omnes editores (Klotzium adulescentem excipies) discedunt a Vaticano, qui habet in *tot* praedonum metu et periculo. Reliqui habent in *tanto* praedonum metu et periculo. Et recte quidem. Neque enim magnum fuisse praedonum numerum Cicero antea commemoravit neque voluit docere, sed magnum eos omnibus iniecisse metum, magnum ab iis creatum esse periculum. Cf. § 62: „atque haec homo amentissimus in tanto praedonum impetu tantoque periculo provinciae sic palam faciebat, ut . ." — Paulo post (V 81,16) Vaticanus habet accubaret, reliqui accumberet. Vaticanum sequuntur Kl., Halm, R., E. Per se accubaret non spernendum est, sed cum Vaticanus 80 locis alia vocabula scripta habeat atque reliqui omnes, atque ex octoginta illis locis plus quinquaginta aperte falsa sit Vaticani scriptura, triginta fere admodum dubia, dubiis locis semper reliquorum consensui est parendum. In Regio solo decies alia verba scripta sunt atque in reliquis, (novies aperte falsa, sed levissimus plerumque est error,) in Regio et singulis vel omnibus melioribus septies octiesve erratum est in hoc genere. (Praetermisi quae in numeris errata sunt et in Regio et in Vaticano.) — Iisdem de causis etiam 119,8, quo loco per se ipsa recte se habet Vaticani scriptura, non recipienda videtur: *intolerabilem* dolorem (rell.: *intolerandum* dolorem); secuti sunt Vatic. Kl., Halm, E. — 105,14 Vaticanus haec habet: Admonet tamen *it* (=*id*), quod istum fugerat, in Phalacrum . . . non posse animadverti; reliqui habent: Admonet tamen *illud*, quod cet. Vera sine dubio est haec lectio, sed miror editorem neminem recepisse Vaticani id. Recordabatur, ut videtur, librarius, saepe se legisse coniunctum id quod. Idem error I 111,13 invenitur. — 117,21, cum non satis internosci possit, utrum in Vat. sit eos an illos, iure editores vel eam ob causam retinuerunt vulgatam. — 106,25 in Vat. scriptum est: Fit clamor et *admurmuratio* populi, tantam esse in homine impudentiam atque audaciam, cum in reliquis non admurmuratio, sed admiratio facta esse dicatur. Receperunt vocem admurmurationis Kl., Halm, E. Eandem horum verborum permutationem esse IV 27 iam Jordanus dixit. Ei et Richtero displicet, clamori adiungi admurmurationem, in qua voce multo minor sit vis quam in clamore. Quod verum esse cum per se patet, tum cernitur ex Cic. in Pis. § 31: non admurmuratione, sed voce et clamore . . fregistis (cf. Richt. ad h. l.). Adde quod Vaticanus haud raro voces, quarum est aliqua (non numquam admodum exigua) similitudo, solet confundere, ut I 106,3 potuit pro potius; 142,7 et 143,8 pupillo pro populo; III 70,13.14 edixisset pro edidisset; 70,15 quando pro quo modo; 85,31 numina pro nummi; 86,9.14 Atheniensibus pro a Tissensibus; 143,20 militibus pro similibus; 152,14 ignotorum pro ingratorum; 155,24 quidquid pro cuique; 173,1 libris pro litteris; 182,24 dictum pro deductum; 183,5 tabellae pro tabulae; 184,15 proelio pro pretio; 225,17 dabitur pro debebatur, alia id genus. Saepius in errorem inductus est librarius, quod illa vox, quam in verae locum substituit, antecesserat (interposito satis magno interdum inter-

vallo). Ex hoc genere sunt, ut pauca proferam, haec; I 142,7; 143,18; pupilli nomen saepius ibi legitur, librarius etiam pro populo scripsit pupillo. Initio libri tertii saepius Cicero commemoraverat, quae Verres edixisset, ut § 34. 35. 36. 38. 51; inde a § 51 usque ad § 70 edicendi verbo, ni fallor, non usus est, nihilo minus, cum haereret etiam tum in memoria librario, quod saepius scripserat edixisse, § 70 quoque edixisset bis scripsit pro edidisset. III 155 saepius scribendum fuerat quid; ea causa fuisse videtur, cur pro cuique ibidem poneret quidquid. Ita eo quoque loco, de quo disputamus, cum obversaretur librarii animo, quod (§ 41) in simili turpitudine *senatus factam esse admurmurationem* scripserat, hoc vocabulum irrepsit. — 118,23 in Vaticano extat: matresque miserae pernoctabant *ante* ostium carceris, in reliquis: matr. mis. pern. *ad* ostium carceris. Halmius usque ad a. 1868 secutus erat Vaticanum, in editione novissima nescio qua re commotus ad reliquos se adiunxit. Itaque cum Klotzius quoque a Vaticano defecerit, Eberhardus solus nunc in fide Vatic. permanet. Sed eum quoque ad Reg. transire necesse erit et iis de causis, quas supra exposui, et quod Iulius Severianus (ed. Halm. p. 366 extr.) vulgatam tuetur, et quod Cicero semper (ni fallor) dicit ad portam (ad ostium, ad ianuam). Cf. in Pis. § 55: ad portam praesto fuerant; p. Sest. 41: Caesar erat ad portas; simil. cum sen. grat. eg. § 32; Phil. 1,11: Hannibal, credo, erat ad portas; Fam. 15,17,1, comites ad portam expectant. Omitto eos locos, quibus, ut de fin. 4,22, ad portas iungitur cum verbis veniendi et similibus. — 121,4 omnes editores perspexerunt, Vaticani scripturam interpretandi studio ortam esse. Meliores enim habent haec: Quis tam fuit illo tempore *ferreus*, quis tam inhumanus praeter unum te, qui non ... commoveretur? In Vatic. scriptum legitur *durus* pro *ferreus*, in deterioribus *durus et ferreus*. Manifestum est in eo libro, cui et Vaticanus et deteriores originem debent, explicandi causa in margine adscriptum vel voci ferreus superscriptum fuisse durus, quae vox a Vaticani librario in textum recepta est, a deterioribus verae lectioni addita. Similia supra deprehendimus, ut II 68,23 (cum in primis locuples); 154,3 (is est enim nimirum); 169,27 (apud adversus publicanos). Interpretamentum in genuinae vocis locum substitutum est II 152,21 civem Romanum pro togatum; III 182,18 praeterit pro me fugit. Eodem pertinere mihi videtur I 106,1 scripsit pro fecit. — 125,18 reliqui omnes habent per *me* spoliati, Vatic. per *hunc* spol. Vulgata ferri non potest; maxime enim abhorret a probabilitate, verba vestros quondam nautas contra Karthaginem Scipio duxit ... usque ad verba ipsi in hostium loco numeroque ducimini Verri tribuenda esse; multo etiam minus veri simile est primam huius paragraphi enuntiationem Ciceronem ad Tyndaritanos conversum pronuntiare, ea quae sequuntur inde a verbis Vobiscum Africanus usque ad ducimini Verris esse verba. Plurimae difficultates tolluntur Vaticani scriptura per hunc; sed non video, qui fieri potuerit, ut haec verba in omnibus libris manu scriptis mutarentur in per me. Toto hoc loco plura et graviora latere videntur vitia. § 124 Cicero Tyndaritanos loquentes inducit: Nos in septemdecim populis Siciliae numeramur ... a nobis ... ministrata sunt. Tum vel

ad iudices vel ad circumstantium coronam conversus ipse dicit: Multum vero haec iis iura profuerunt . . . Deinde Tyndaritanos appellat: Vestros quondam nautas . . . Scipio duxit, at nunc navem . . . inanem Cleomenes ducit. Post (si vulgatam sequimur) Verres putandus est ad eosdem Tyndaritanos dicere haec: Vobiscum Africanus . . . communicavit, at nunc per me spoliati . . in hostium loco numeroque ducimini (vel ducemini). Postremo rursus iudices alloquitur orator. Haec dura sunt et intoleranda. Si cum Bakio legeretur extrema § 124: „Multum vero haec vobis iura profuerunt" et cum Vaticano „per hunc (spoliati)" multo planius ac melius oratio procederet. Sed de aliis quoque huius loci verbis graves dubitationes sunt excitatae, nec quidquam certi de verbis per me adfirmare audeo. Vereor ne Vaticani per hunc emendandi studio tribuendum sit, cum in exemplo proposito mendum esset. Quod quale fuerit, mihi non exploratum est. — 133,14 Vaticanus scriptum habet: non metum *in* re militari tolli dico oportere, in reliquis est *ex* pro *in*. In superioribus editionibus Klotzius et Halmius secuti erant Vaticanum, nunc omnes recte cum reliquis faciunt. Nam, ut de aliis taceam, Cicero cum tollendi verbo solet iungere praepositionem ex, non in. – De eo, qui unus reliquus est, loco (136,22) difficilis sane atque lubrica est quaestio. Vaticanus habet: Tu in provincia *populi Romani*, meliores plerique: tu in prov. *praetor*, deteriores (et codd. Lambini): tu in prov. *populi Romani praetor*. In codicibus populi Romani scribi solet P. R.; ut est hoc loco in Vat., praetor PR., ut est in Regio, patet haec facillime inter se posse mutari, et sunt saepissime in codd. mutata; v. II 67,11; 139,23; III 44,16; 130,11, 169,3; IV 68,22; 77,1; (150,2;) al. Etiam illud facillime potuit accidere, ut, si scriptum erat P. R. PR., alterum utrum omitteretur. Miro quodam casu factum est, ut acerrimi Regii defensores, Zumptius et Jordanus, hoc loco eum desererent, Vaticani amicissimi aut in adversarii castra transirent aut vacillarent. Klotzius enim in editionibus Teubnerianis secutus est Regium, Halmius a. 1867 Vaticano paruit, 1868 ad Regium transiit, 1874 ad Vatic. revertit. Eberhardus et Richterus habent populi Romani praetor. Mihi quoque verba populi Romani necessaria videntur, quia sequuntur verba ex foedere quam deberent navem, sed praetor etiam, ni fallor, requiritur, nam sequitur: cum tibi bellum esset administrandum; praetoris enim erat bellum administrare, foedus ictum erat cum populo Romano.

Absoluta iam est ea operis pars, quam hoc loco tractandam mihi proposueram; nam de iis locis, quibus Vatic. congruit cum deterioribus, recedit a melioribus, non potest iudicari, nisi singulari quaestione erit indagatum, quae ratio inter Vaticanum et deteriores intercedat. Addideram quae ad orthographiam, quam dicunt, pertinent; sed quoniam satis angustis circumscribimur finibus — verendum est videlicet, ne nimii Urbis aerario nascantur sumptus — haec typis mandare non licet. (Etiam in superioribus compluria, cum iam typis descripta esset commentationis pars, in brevius mihi fuerunt contrahenda.) Satis habeo hic commemorare, in Regio aut plerumque aut semper scriptum esse caeteri, cum Vaticanus rectius habeat ceteri; in reliquis autem

rebus non cedit Regius Vaticano, immo saepius quam Vatic. servavit antiquiorem formam, quae non raro ex ipsis codicis mendis cognoscitur. Inde colligere licet, archetypum Regii et meliorum vetustiorem fuisse quam Vaticani (et deteriorum) fontem.

Quaestione ad finem perducta paucis complector quae fusius supra exposita sunt. In orthographia Regius vix cedit Vaticano, atque etiam in litterarum permutatione admodum exiguum est discrimen. In reliquis rebus omnibus melior est Regius Parisinus, in plerisque longe praestat Vaticano. Profectus est Regius ex libro vetustiore, fonte multo puriore atque integriore quam Vaticanus, et multo integrior servatus est. Mendorum, quae sunt in utroque codice, si numerum comparamus, in iis Verrinarum partibus, quae in utroque extant, confusae sunt singulae litterae in Vaticano amplius 54 locis, in Regio 58; syllabae mutatae sunt in Vat. 6, in Reg. 2; plenae voces in Vat. 15, in Reg. 11. — Additae sunt litterae in Vat. 20—21, in Reg. 18; syllabae in Vat. 6—7, in Reg. 2; verba in Vat. 10—13, in Reg. 2. — Omissae sunt litterae in Vat. 34, in Reg. 18; syllabae in Vat. 5, in Reg. 5; verba in Vat. 19 locis 18 (nam uno loco duo vocabula exciderunt), et 35 verba uno loco, in Reg. 4 locis singula, uno loco duo, uno 7 verba desunt. — Verborum ordo perversus est in Vat. 4 locis, in Regio semel.

Praeterea comparaveram trium priorum alterius in Verrem actionis librorum fragmenta quotcumque extant in Vaticano cum quarto libro et duobus ineuntis quinti libri capitibus. Continentur enim fragmenta illa codicis Vatic., quae ex primo, secundo, tertio Verrinarum libris servata sunt, 1712 versibus editionis Orell.-Bait.-Halm.; quartus liber, qui totus in Reg. extat, continetur 1737 versibus eiusdem editionis; ex his deducendi sunt 78 versus, qui, cum in Vaticano quoque extent, hoc loco praetermittendi sunt. Ad versus illos 1659 quarti libri, qui reliqui sunt, accedant necesse est in comparatione instituenda, ut par versuum numerus efficiatur, versus 53; 53 autem versus complectuntur caput primum et alterum quinti libri. Erratum igitur est in iis, de quibus modo dixi, Verrinarum partibus litteris permutatis in Vaticano plus 230 locis, in Regio 260 circiter (dubii praeterea sunt in Vat. 30 fere loci, in Reg. 20); syllabae confusae sunt in Vat. 35, in Reg. 21; vocabula integra in Vat. amplius 50, ad quae accedunt 30 circiter dubiis locis, in Reg. 17—18. — Additae sunt litterae in Vat. plus 130, in Reg. 70 fere; syllabae in Vat. 42, in Reg. 8; vocabula in Vat. 32 locis, quibus addendi sunt 33 maxime suspecti, in Reg. 6 locis. — Omissae sunt litterae in Vat. fere 120, in Reg. 56; syllabae in Vat. plus 70, in Reg. 24—26; verba singula in Vat. circiter 80, dubitare praeterea licet de 30 fere locis, in Reg. verba 21 desunt, dubii sunt loci duo vel tres; plura verba desunt in Vat. 17 locis, dubii sunt 3 loci; in Regio plura verba omissa sunt 5 locis. — In verborum denique collocatione erravit Vaticani librarius quinquies septiesve, Regii bis.

Quod si iis, quae modo commemoravi, addimus ea, quae supra posui, mendorum hanc in his codicibus videmus esse rationem.

Confusae sunt litterae in *Vat.* amplius 280 (vel 310) locis, in *Regio* 320 fere (vel 340) locis;
syllabae in *Vat.* 41, in *Reg.* 23;
vocabula - - amplius 65 (95), in *Reg.* 28—29.
Additae sunt litterae in *Vat.* plus 150 locis, in *Reg.* 90 fere locis;
syllabae - - 49 - - - 10;
vocabula - - 42(78) - - - 8 locis.
Omissae sunt litterae in *Vat.* plus 150, in *Reg.* 74;
syllabae - - - 75, - - 30 fere;
singula vocabula - - 100—130, - - 25—28;
plura vocabula - - 19—22 locis, - - 7 locis.
Turbatus est verborum ordo in *Vat.* 9—11 locis, in *Reg.* 3 locis.

Quae cum ita sint, cum Vaticanus non solum maxime ad errores inclinet eosque gravissimos, cum temere saepe mutet, quae recte tradita sunt, cum non raro, id quod maximum est, consulto eos, qui fidem ei habent, in errores inducat, summo opere cavendum est religiosis omnibus et prudentibus hominibus, ne ab hoc fallacissimo auctore decipiantur et circumveniantur. Speciosa sane saepenumero Vaticani sunt verba et quae facillime hominum minus providorum animis lenocinentur, sed eo magis providendum est, ne fallamur iis atque inducamur, neque umquam, nisi certissimis probari poterit argumentis, vera esse, quae tradat Vaticanus, fides ei erit habenda. Sequamur potius in dubiis rebus omnibus Reg., qui quamquam ne ipse quidem erroribus vacuus est, numquam tamen eos, qui ei credunt, de industria fallere conatur, numquam consulto a veritate discedit.